DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

Prima Lineamenta Tractatus Dogmatici

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

QUEM IN INSTITUTO CATHOLICO PARISIENSI HABEBAT

ADHEMAR D'ALÈS

SACRAE THEOLOGIAE LECTOR

ALMA COLLEGE
236.4
LIBRARY
Al 2L
Alma, California

GABRIEL BEAUCHESNE, ÉDITEUR
A PARIS, RUE DE RENNES, 117

MCMXXVI

4529

Nihil Obstat

G. Courtade.
Lutetiae Parisiorum, 24 Oct. 1925.

IMPRIMATUR
Lutetiae Parisiorum, die 8ª decembris.
In festo B. M. V. Immaculatae.

† Benjamin Octavius
Episc. Mosynopolit.
Auxiliaris parisiensis.

PROOEMIUM

Libellus ad usum lectionum nostrarum editus exhibet summam thesium et fontes argumentorum.

Paenitentia christiana est virtus et sacramentum. Antequam de Sacramento Paenitentiae dicere aggredimur, ipsius nominis vis et significatio declaranda est.

Μετανοεῖν significat mutare mentem aut consilium, inde a Platone, *Euthyd.*, 279 C. Apud LXX, adhibetur de hominibus, *Ier.*, 8, 6, etc., atque etiam, per quendam anthropomorphismum, de Deo, quatenus, iuxta humanam cogitandi rationem, decreta sua corrigere intellegitur. *1 Sam.*, 15, 29; *Ioel.*, 2, 13; *Am.*, 7, 3; *Ion.*, 3, 9.10; eadem significatione dicitur ἀποστρέφειν, ἐπιστρέφειν, *Ez.*, 18, 21.30; *Zach.*, 1, 3, etc.

Μετάνοια est mutatio consilii, maxime qua retrahit homo voluntatem suam a malo quod antea secutus erat et convertit ad bonum. *Sap.*, 11, 24; 12, 10; *Eccli.*, 44, 16. — Philo, *De praemiis et poenis*, ed. Mangey, t. 2, p. 400, 36; Iosephus, *AI.*, 7, 13, 11, 3.

In NT., de hominibus tantummodo adhibetur μετανοεῖν, μετάνοια.

Occurrit μετανοεῖν *Mt.*, 3, 2; 4, 17; 11, 20.21; 12, 41; *Mc.*, 1, 15; 6. 12; *Lc.*, 10, 13; 11, 32; 13, 3.5; 15, 7.10; 16, 30; 17, 3.4; *Act.*, 2, 38; 3, 19; 8, 22; 17, 30; 26, 20; *2 Cor.*, 12, 21; *Ap.*, 2, 5.16.21.22; 3, 3.19; 9, 20.21; 16, 9.11. — Μετάνοια, *Mt.*, 3, 8.11; *Mc.*, 1, 4; *Lc.*, 3, 3.8; 5, 32; 15, 7; 24, 47; *Act.*, 5, 31; 11, 18; 13, 24; 19, 4; 20, 21; 26, 20; *Rom.*, 2, 4; *2 Cor.*, 7, 9.10; *2 Tim.*, 2, 25; *Hb.*, 6, 1.16; 12, 17; *2 Pt.* 3, 9. — Adde μεταμέλεσθαι, *Mt.*, 21, 30.32; 27, 3; *2 Cor.*, 7, 8.

Paenitet, paenitentia, ex prima verbi significatione refertur ad dolorem animi potius quam ad mutationem consilii. Terentius, *Phorm.*, 1, 3, 29; Cicero, *Re publ.*, 6, 16. (Male Isidorus, *Etym.*, 6, 19, 71, ad rationem poenae aut puniendi refert).

Ovidius, *Pont., Ep.*, 1, 57-60. Accommodatur autem longe frequentissime ad dolorem animi conceptum de consilio praeterito et inde ad eius retractationem. Bréal et Bailly, *Dict. Etym. latin*[2], Paris, 1886 ; *Mem. Soc. Ling.*, t. 5.

Hermas, cuius libellus fere totus est de praedicatione paenitentiae, describit paenitentiam tamquam : 1) donum Dei ; 2) magnam sapientiam ; 3) voluntatem emendandi delicta praeterita. Vide maxime *Pastoris Mandat.*, 4, 2. Paenitentiae autem viam saepe sternunt aerumnae et castigationes a Deo immissae. *Sim.*, 6, 2.3, ubi inducitur ἄγγελος τῆς τιμωρίας.

Tertullianus, init. libri *De Paenitentia :* « Paenitentiam hoc genus hominum quod et ipsi retro fuimus, caeci, sine Domini lumine, natura tenus norunt passionem animi quandam esse quae veniat de offensa sententiae peioris (var. prioris)... »

Utriusque verbi, graeci et latini, proprietatem declarat Lactantius, *Div. Inst.*, 6, 24, *PL.*, 6, 722 : « Is quem facti sui paenitet, errorem suum pristinum intelligit ; ideoque Graeci melius et significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latine possimus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget ; castigatque seipsum dementiae et confirmat animum suum ad rectius vivendum ; tum illud ipsum maxime cavet ne rursus in eosdem laqueos inducatur... »

Inter christianos, nomen paenitentiae tripliciter adhibetur : 1 ut virtus ; 2) ut sacramentum ; 3) ut opera satisfactoria.

S. Thomas, *Summ. Th.*, 3ª, q.85, agit de paenitentia secundum quod est virtus, et hanc tradit definitionem, a. 1 ad 3ᵐ : « Displicentia seu reprobatio facti praeteriti, cum intentione removendi sequelam ipsius, sc. offensam Dei et reatum poenae. » Distinctionem eius a ceteris virtutibus probat ex proprietate obiecti formalis, a. 2 : « Species habituum distinguuntur secundum species actuum ; et ideo ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem actum virtutis. Manifestum est autem quod in paenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, sc. operari ad destructionem peccati praeteriti, in quantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere quod paenitentia est specialis virtus. » Docet esse speciem quandam iustitiae, a. 3. Eius subiectum esse voluntatem, a. 4. Principium a timore, a. 5. In iustificatione impii, praecedere

quodammodo ceteras virtutes, quanquam non praecedit eas ordine naturae, a. 6.

Catechismus Tridentinus, p. 2, c. 5, 3-7, declarat illius naturam, gradus, excellentiam.

Inter multa Patrum opera, ad doctrinam de Paenitentia spectant :

Hermas, *Pastor*. Inter Opp. Patrum Apostolicorum.

Tertullianus, *De Paenitentia. De Pudicitia*, *PL.*, 1.2.

S. Cyprianus. *De Lapsis; Epistulae*, passim. Ed. Hartel, in *CSELV*, 3.

Origenes, *Homiliae in Leviticum; in Psalmos*, 36.37; *in Ieremiam*, etc. *PG.*, 12.13.

S. Gregorius Thaumaturgus, *Ep. canonica*. *PG.*, 10, 1019-1048.

Concilii Illiberitani canones (circa 300; ap. Mansi, *Concil. Coll.*, t. 2, p. 5 s).

S. Petri Alexandrini episcopi et martyris *Epistula canonica* (306), *PG.*, p. 467-508.

Concilii Arelatensis (314) *canones*, ap. Mansi, t. 2, p. 470.

Concilii Ancyrani (314) *canones*, ap. Mansi, t. 2, p. 513.

Concilii Nicaeni (325) *canones*, ib., p. 668.

La Didascalie des Apôtres, trad. du syriaque[2], par F. Nau, Paris, 1912.

Didascalia et Constitutiones Apostolorum, ed. F. X. Funk, Paderbornae, 1905, 2 vol.

Testamentum DNIC., syr.-lat., ed. I. E. Rahmani, Moguntiae, 1899.

S. Basilius, *Epistulae canonicae* III (188.199.217, *Ad Amphilochium*, *PG.*, 32.

S. Gregorius Nazianzenus, *Or.*, 25.39, *PG.*, 35.36.

S. Gregorius Nyssenus, *Epistula canonica ad Letoium Melitines episcopum*, *PG.*, 45.

S. Joannes Chrysostomus, *De Sacerdotio*, *PG.*, 48,623-692. *Homiliae*, passim.

Asterius Amasenus, *Hom.*, 13, *PG.*, 40, 352-369. cf. *Excerpta Photii, Bibl.*, cod. 271, *PG.*, 104, 213 A B.

Aphraates, *De Paenitentibus Demonstr.*, 5, *PS.*, 1.

S. Ephraem, *Ad Paenitentes Paraeneses* LXXVI; *Opp. syr.-lat.*, t. 3, p. 367-561, Romae, 1743; *De Paenitentia, Opp. gr.-lat.*, t. 3, p. 160-205, Romae, 1746.

S. Ambrosius, *De Paenitentia Libri II, PL.,* 16; *Epp.,* 25. 51. *In obitu Theodosii Oratio,* ibid.

S. Pacianus, *Ad Sympronianum Epistulae III; Paraenesis ad Paenitentiam, PL.,* 13.

S. Hieronymus, *Epp.,* 77, *Ad Oceanum;* 122, *Ad Rusticum;* 130, *Ad Demetriadem;* 147, *Ad Sabinianum. PL.,* 22.

S. Augustinus, *De peccatorum meritis et remissione Libri III, PL.,* 44; *Serm.,* 71, *PL.,* 38; 351 (Mauristis suspectus); 352, *PL.,* 39; etc.

S. Fulgentius Ruspensis, *De remissione peccatorum Ad Euthymium* Libri II, *PL.,* 65.

S. Benedictus, *Regula, PL.,* 66.

Ps. Ambrosius, *Liber de Paenitentia, PL.,* 17, 971-1004, Victori Cartennensi (fin.-saec. v), ut videtur, restituendus.

Ps. Augustinus, *De vera et falsa Paenitentia, PL.,* 40, 1113-1150 (refert disciplinam in Ecclesia vigentem circa ann. 1100).

Cf. Indices de Paenitentia ap. Migne, *PL.,* 218, 1264-7; 219, 883-898; 221, 1057.8; 1244-5.

Opera dogmatica et historica.

Petrus Lombardus, *Sentt.,* 4d. 14-22, *PL.,* 192; cum interpretibus eius omnibus.

S. Thomas. 3ª, q. 84-90; *ex Supplem.,* q. 1-28: cum interpretibus eius omnibus.

Caietanus, O. P., († 1534), *In 3am S. Thomae. — Opuscula,* ed. Bergomi, 1690.

Melchior Canus, O. P. († 1560), *Relectio de Paenitentia. In Opp.,* ed. Bassani, 1776.

Dom Soto, O. P., († 1560), *Ad S. Concilium Tridentinum de Natura et Gratia* (ed. Venet., 1548), ed. Lugduni, 1581.

Andr. Vega, O. M., († 1560), *De Iustificatione Doctrina universa libris XV absolute tradita* (ed. Venet., 1548), ed. Coloniae 1572, curante Petro Canisio S. I.

Ioan. Maldonatus, S. I. († 1583), *Disputationum ac Controversiarum circa septem Ecclesiae Sacramenta Tomi II.* Ed. Lugduni, 1614.

B. Robertus Bellarminus, S. I. († 1621), *De Sacramento Paenitentiae libri IV. Opp.,* ed. Coloniae, 1619, t. 3.

Fr. Suarez, S. I. († 1617), *In 3^am S. Thomae. Opp.*, ed. Parisiis, 1856-1878, t. 22.

Albaspinaeus (Gabriel de l'Aubépine, év. d'Orléans, † 1630), *De veteribus Ecclesiae ritibus Observationum libri II*, Paris, 1623

Dion. Petavius, S. I. († 1652), *De Paenitentiae vetere in Ecclesia ratione, Diatriba ex Epiphanianis animadversionibus*, Paris, 1622; *De Paenitentiae ritu veteri in Ecclesia, adv. Mathurinum Simonium*, 1624; *De Paenitentia et reconciliatione veteris Ecclesiae moribus recepta, Diatriba ex notis in Synesium*, 1633; *De Paenitentia publica et praeparatione ad Communionem libri VIII*, 1643-5. — *Opp.*, ed. Venetiis, 1757.

Iac. Sirmondus, S. I. († 1651), *Historia Paenitentiae publicae*, Paris, 1651.

Ioan. Morinus, Congr. Orat., († 1659), *Commentarius historicus de disciplina in administratione Sacramenti Paenitentiae XIII primis saeculis in Ecclesia occidentali et usque nunc in orientali observata*, Paris, 1651. — Ed. Venetiis, 1702.

I. B. Gonet, O. P. († 1681), *Clypeus Thomisticus*. — Ed. Antverpiae, 1725.

Ant. Arnauld († 1694), *La tradition de l'Église sur le sujet de la Pénitence et de la Communion*, Paris, 1644 (Jansen).

Eusebius Renaudot († 1720), *Perpétuité de la foy de l'Église catholique sur les Sacrements*, t. 5, Paris, 1713.

Natalis Alexander, O. P. († 1724), *Historia Ecclesiastica*, Paris, 1699.

Card. I. A. Orsi, O. P. († 1761), *Dissertatio historica, qua ostenditur catholicam Ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse*. Mediolani, 1730.

Frank, *Die Bussdisziplin der Kirche, von der Aposteln Zeit bis zum VII Jahrhundert*, Mainz, 1867.

Dom. Palmieri, S. I., *Tractatus de Paenitentia*, Romae, 1879.

H. J. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche*; t. 1, Mainz, 1883; t. 2, Düsseldorf, 1898.

C. Lea, *A History of auricular Confession and Indulgence in the Latin Church*. 3 vol., Philadelphia, 1896 (protest..)

F. Boudinhon, *Sur l'Histoire de la Pénitence, à propos d'un livre récent. Rev. Hist. Litt. Rel.*, 1897.

F. X. Funk, *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen,* 3 vol., Paderborn, 1897. 1899. 1907.

P. Pellé, *Le tribunal de la Pénitence devant la Théologie et l'Histoire,* Poitiers, 1903.

P. Batiffol, *Études d'Histoire et de Théologie positive,* 1re série, Paris, 1902. 6e éd., 1920.

E. Vacandard, *Essais de critique et d'histoire religieuse,* 2e série, Paris, 1908.

G. Rauschen, *L'Eucharistie et la Pénitence durant les six premiers siècles;* traduit de l'allemand (1908), Paris, 1910.

Ios. Göttler, *Der Heilige Thomas und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Busssakraments,* Freiburg i. B., 1904.

P. Schmoll, O. F. M., *Die Busslehre der Frühscholastik,* München, 1909.

L. Billot, S. I., *De Ecclesiae Sacramentis,* t. 2^4, Romae, 1908; *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis*^{3}, Romae 1900.

Chr. Pesch., S. I., *Praelectiones Dogmaticae,* t. 7^3, Friburgi Brisgoviae, 1909.

Ad. Tanquerey, *De Paenitentiae Sacramento*^{2}, Paris, 1912.

J. Tixeront, *Le Sacrement de Pénitence dans l'antiquité chrétienne*, Paris, 1914.

E. Hugueny, O.P., *Critique et catholique,* t. 2, Paris, 1914.

A. d'Alès, *L'Édit de Calliste. Étude sur les Origines de la Pénitence chrétienne,* Paris, 1914 (ubi invenies supplementum bibliographiae).

L'abbé Marius Besson, *Lettres à un jeune paroissien sur le Sacrement de Pénitence,* Lausanne, 1918.

O. Watkins, *A History of Penance;* vol. 1, *the whole Church to A.D. 450;* 2, *the western Church from 450 to 1215.* London, 1920 (anglic.).

P. Galtier, S. I., *De Paenitentia Tractatus dogmaticohistoricus,* Paris, 1923.

INDEX QUORUNDAM SIGLORUM.

BALAC	*Bulletin d'Ancienne Littérature et d'Archéologie chrétienne.*
BLE	*Bulletin de Littérature ecclésiastique.*
CSEL	*Corpus Scriptorum ecclesiasticorum latinorum Vindobonense.*
DA	*Dictionnaire Apologétique de la Foi catholique*[4], ed. A. d'Alès.
DB	*Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum,* edd. Denzinger-Bannwart.
DTC	*Dictionnaire de Théologie catholique,* edd. Vacant-Mangenot-Amann.
EC	*L'Edit de Calliste* (A. d'Alès).
JTS	*Journal of Theological Studies* (Oxford).
KGAU	*Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen* (3 vol. F.X. Funk).
PG	*Patrologia graeca* (Migne).
PL	*Patrologia latina* (Migne).
PO	*Patrologia orientalis* (Graffin).
PS	*Patrologia syriaca* (Graffin-Nau).
RCF	*Revue du Clergé français.*
RE	*Real Encyclopädie für prot. Theologie und Kirche*[3] (Herzog-Hauck).
RHE	*Revue d'Histoire ecclésiastique* (Louvain).
RHLR	*Revue d'Histoire et de Littérature religieuse.*
RPA	*Revue pratique d'Apologétique.*
RQH	*Revue des Questions historiques.*
RSR	*Recherches de Science religieuse.*
TCC	*Theologiae Cursus completus* (Migne).
TDC	*Thesaurus Doctrinae catholicae,* ed. F. Cavallera.
TLZ	*Theologische Literaturzeitung* (Leipzig).
TQS	*Theologische Quartalschrift* (Tübingen).
TU	*Texte und Untersuchungen* (edd. von Gebhardt, Harnack, Schmidt).
ZSKG	*Zeitschrift für Kirchengeschichte.*
ZSKT	*Zeitschrift für Katholische Theologie* (Innsbruck).
ZSNTW	*Zeitschrift f. die neutestamentliche Wissenschaft und die Kunde des Urchristentums* (Giessen).

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

CAPUT I

DE IPSO SACRAMENTO

THESIS I

Existit in Ecclesia Sacramentum Paenitentiae a Christo institutum per modum iudicii.

Prolegomena.

1. Accipimus definitionem Sacramenti NL a Catechismo Tridentino 2, 1, 9 traditam : « rem sensibus subiectam quae, ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet » ; asserimusque existere in Ecclesia Sacramentum Paenitentiae quod huic definitioni respondeat.

Quoniam de re sensibus subiecta agitur, oportebit illam rem describi. Interim satis erit demonstrare collationem sanctitatis et iustitiae de qua agitur non esse aliquid mere internum, sed etiam aliquo signo externo declarari. Demonstrandum praeterea ex institutione Christi connecti cum illo signo collationem verae sanctitatis et iustitiae internae.

Remissionem peccatorum sub NL non futuram sine aliquo ritu externo suadet ipse parallelismus VL, cf. *Ex.*, 29, 1-14. 36 ; *Lev.*, 4-6 ; 16. Ceterum non eadem ratio sanctitatis et iustitiae sub utraque lege : sub VL, legalis et externa ; sub NL, vera et interna. — Verum manere suos peccato obnoxios satis significaverat Christus, *Mt.*, 5,29.30 ; 10, 28 ; *Lc.*, 12,5 ; monueratque locum esse remissioni peccatorum, *Mt.*, 6,11-15! Sollicitudinem erga omnes Pastoris aeterni expresserat, *Mt.*, 18, 11-14 ; *Lc.*, 15.

Dicimus institutum a Christo Sacramentum Paenitentiae per modum iudicii, in quo homo existat accusator sui ipsius et

adversum se testis, minister autem Sacramenti ferat sententiam nomine et auctoritate Christi. Quod quidem iudicium fit de solis hominibus christianis: unde dupliciter distinguitur Sacramentum Paenitentiae a Sacramento Baptismi, quod et per modum lavacri institutum est et de non christianis facit christianos.

2. Sacramentum Paenitentiae semper fuisse in Ecclesia nemo fere negavit ante Protestantes. Quanquam Petrus Abaelardus, cum ad tria capita summam religionis christianae refert, *Introd. ad Theologiam*, 1, 1, *PL.*, 178, 981 C : « Tria sunt, ut arbitror, in quibus humanae salutis summa consistit : fides vid., caritas et sacramentum », — non ad sacramentum reducit paenitentiam, sed magis, ut videtur, ad caritatem, partem religionis subiectivam. Cf. *Capit. haeres.*, 16. *PL.*, 182, 1054 *A; DB.*, 379 (321).

Lutherus, *Lib. de captivitate babylonica*, cum scripsisset : « Principio neganda sunt mihi septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda : Baptismus, Paenitentia, Panis » ; sub finem libri Paenitentiam sustulit : « Paenitentiae Sacramentum, quod ego his duobus B. et E. accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad Baptismum. » Cf. Melanchthon. *Apologia Confessionis Augustanae*, art. 12.12 : Calvinus, *Institution de la Rel. Chr.*, 4, 19, 14-17.

Inter Protestantes recentiores, magna est ea de re dissensio. Incredibile videtur, sed tamen ita est, C. Lea negavisse Ecclesiam veterem vindicasse sibi potestatem remittendi peccata in foro interno, t. 1, c. 7. — Rationalistae institutionem Sacramenti communiter repetunt ab ambitione sacerdotali, et eius initium assignant praeceptum confessionis annuae ab Innocentio III impositum A. D. 1215. *DB.*, 437 (363).

Dicendum : A. De veritate Sacramenti.

B. De forma iudicii.

A. *De veritate Sacramenti.*

Probatur 1. *Scriptura*, in qua videmus potestatem dimittendi peccata promissam primo Petro, tum ceteris Apostolis una cum Petro, ac tandem iisdem collatam.

1° *Mt.*, 16, 17-19 : ... Δώσω σοι τὰς κλεῖδας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ

ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. — Cf. *Mc.*, 8, 29. 30; *Lc.*, 9, 20.21.

His verbis promittitur Petro, tanquam fundamento Ecclesiae, potestas praecipua, quae potestas in clavibus repraesentatur. In clavibus, ex usu S. Scripturae et sermone Iudaeorum, intellegitur potestas regiminis summa. Cf. *Gen.*, 41 : *Is.*, 22, 22 : *Ap.*, 1. 17.18; 3,7. Eiusmodi potestas promittitur Petro, et quidem tanquam fundamento Ecclesiae, i. e. personae non privatae, sed publicae, quam ob sustentationem aedificii semper manere oporteat; qua potestate in perpetuum accepta, dispenset omnia bona in Ecclesia Christi : *Lc.*, 12, 42; *Ap.*, 1. 18. Ipsa Ecclesia significatur in perpetuum mansura, et cum ea, ipsa persona Petri, sine qua aedificium constare nequit. Hinc, ad eum qui gerit personam Petri in Ecclesia, necesse est transmitti illam potestatem summam regiminis, in cuius amplitudine comprehenditur etiam condonatio delictorum, verbo solvendi declarata.

Accedit interpretatio Patrum. Tertullianus, *Praescr.*, 22; *Scorp.*, 10 verba Tertulliani iam montanizantis) : « Etsi adhuc clausum putas caelum, memento claves eius hic Dominum Petro et per eum Ecclesiae reliquisse, quas hic unusquisque interrogatus atque confessus feret secum. » Idem iam montanista. *Pud.*, 21, inducit Pontificem Romanum (Callistum?) vindicantem illam potestatem Ecclesiae : « Habet potestatem Ecclesia delicta donandi. » Ipse quidem refragatur, et Ecclesiae catholicae opponit Ecclesiam Spiritus, i. e. suam; negat eiusmodi potestatem coniunctam cum hereditate Petri, et interrogat Pontificem : « Quaero unde hoc ius Ecclesiae usurpes. » ubi Ecclesiae ponitur dativo, non genitivo; cf. *EC.*, p. 192). — Origenes, *In Mt.*, *T.* 12, 14, *PG.*, 13, 1013 A-1016 A. Cyprianus, *De cath. Eccl. un.*, 4, Hartel, p. 212; *Ep.*, 33, 1, p. 566; ubi, recitato *Mt.*, 16, 18.19, redarguit audaciam quorundam ius remittendi peccata sibi arrogantium : « Miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ecclesiae nomine litteras facerent : quando Ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta. » Cf. d'Alès, *Théologie de saint Cyprien*, p. 120-130, Paris, 1922. — Firmilianus, *inter Epp. Cypriani*, 75, 16, p. 820. — Ps. Cyprianus, *De Aleatoribus*, 1, Hartel, p. 93. — Hieronymus, *Ep.*, 14, 8, *Ad Heliodorum*, *PL.*, 22, 352 : « (Clerici), claves

regni caelorum habentes, quodam modo ante diem iudicii iudicant. » — Ambrosius, *Paen.*, 1, 7, 32.33, *PL.*, 16, 476 BC (Adv. Novatianos). — Augustinus, *Doct. chr.*, 1, 18, 17, *PL.*, 34, 25. — Aphraates. *Demonstr.*, 7, 11, *PS.*, 1, 329 : « Audite et vos, qui claves portarum caeli tenetis, et fores aperite paenitentibus. »

Condicio critica loci *Mt.*, 16, 17-19 optima est : huic testificantur, praeter editiones et codices omnes, Tatianus in *Diatessaron*, circa ann. 170. — De illo loco critice et exegetice, Y. de La Brière, art. *Papauté, DA.*, 3, 1339-1366 (1921).

2° *Mt.*, 18. 12-20; maxime 18, 18 : Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένα ἐν οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν οὐρανῷ.

His verbis Christus promissam iam Petro (16, 19) summam potestatem ligandi et solvendi in terris efficaciter peccata, ita ut aut ligata aut soluta maneant in caelo, promittit discipulis, non tamen seorsim a Petro. Nam, nisi assumitur dicta Domini inter se non cohaerere, intellegendus est Christus ita promisisse ut maneret Petro prius promissum; i. e. ea condicione promisisse, si manerent fundati in illa petra Ecclesiae. Ceterum, quae Apostolis promittuntur tanquam ducibus Ecclesiae, eadem censenda sunt Ecclesiae promitti, siquidem Christus perpetuo manere voluit Ecclesiam super Petrum fundatam, superaedificatam in fundamento Apostolorum et Prophetarum, *Eph.*, 2, 20. Est ergo in Ecclesia perpetua potestas ligandi et solvendi, i. e. vetandi et permittendi, retinendi peccata et remittendi, ab Apostolis traducta ad illos qui apostolicum ministerium hereditate susceperunt.

Remissionis peccatorum mentio occurrit iam in VT., 2 *Macc.*, 12, 46 : Ὁσία καὶ εὐσεβὴς ἡ ἐπίνοια, ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι.

E Patribus, proferri potest Ignatius Antiochenus, incunte saec. II, *Philad.*, 8, 1 : Πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ Κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. Πιστεύω τῇ χάριτι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς λύσει ἀφ' ὑμῶν πάντα δεσμόν. — Tertullianus, *Ap.*, 39. — Origenes, *In Mt.*, *T.* 13, 31, *PG.*, 13, 1180. — Hilarius, *In Mt.*, 18, 18, *PL.*, 9, 1021 B. — Pacianus, *Ad Sympronianum, Ep.*, 1, 6, *PL.*, 13, 1057 AC; *Ep.*, 3, 11.12, 1070 C-1071 D. — Hieronymus, in h. l., *PL.*, 26, 131 D. — Augustinus, *CD.*, 20, 9, 2, *PL.*, 41, 673.

N. B. *Mt.*, 18, 15, legitur : Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ ὁ ἀδελφός σου, similiter *Lc.*, 17, 3; at ib., 4, additur : εἰς σέ. Vulgata *Mt.*, 18, 15 reddidit : « Si autem peccaverit [in te] frater tuus. » Patres multi intellexerunt de officio correptionis fraternae. Origenes, *In Ios.*, *H.*, 7, 6, *PG.*, 12, 861 B; Augustinus, *Fid. et Opp.*, 3, 4: 26, 48, *PL.*, 40, 199.229. Sane contextus respicit primo, iniuriam admissam in eum qui iubetur condonare; sed, occasione accepta, asseritur potestas Ecclesiae hierarchicae commissa.

Exercetur potestas ligandi, *1 Cor.*, 5, 3-5; *1 Tim.*, 1, 19-20, cf. *2 Tim.*, 3, 16-19; potestas solvendi, *2 Cor.*, 2, 5-11.

3° *Io.*, 20, 19-23 : ...Καθὼς ἀπέσταλκέν με ὁ Πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. Καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησεν καὶ λέγει αὐτοῖς· Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον. ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.

Quod supra promissum erat, hic confertur. — Ad 21, cf. *Mt.*, 28, 18-20 et *2 Cor.*, 5, 18-20, de missione Apostolorum. Ad 22, cf. *Io.*, 3, 5-8, ubi Spiritus Sancti operatio asseritur et natura innuitur; et *Io.*, 16, 7, ubi plenior effusio Spiritus Sancti promittitur. Ad 23, cf. *Mt.*, 9, 2-8 = *Mc.*, 2, 3-12 = *Lc.*, 5, 18-26 (paralyticus); *Mt.*, 6, 12-15 (oratio dominica), coll. *Mc.*, 11, 25-33; *Mt.*, 12, 31-32 = *Lc.*, 12, 10 (blasphemia Spiritus); praeterea, *Lc.*, 7, 47-50 (mulier peccatrix); 23,34 (oratio Domini pro crucifigentibus); *Act.*, 8, 22; *1 Io.*, 1, 9; 2, 12. Significatio verbi ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας minime est obscura, et ex ipso VT illustrari potest : *Ps.*, 31, 1.2 (cf. *Rom.*, 4, 7); *1 Macc.*, 13, 39; 15, 8. Intellegitur vera et efficax remissio peccatorum, qualem solus Deus praestare potest, non tegendo tantum, sed delendo, et creando in homine cor mundum atque innovando spiritum rectum in visceribus eius (*Ps.*, 50, 12).

II. *Patribus.* — Hanc efficaciam Paenitentiae innovantis intus hominem multipliciter asserunt Patres. 1° Cum Paenitentiam conferunt cum Baptismo et describunt tanquam alterum Baptismum. Etenim Baptismus est hominis secundum Christum generatio; Paenitentia post Baptismum suscepta, regeneratio. Hermas, *Mand.*, 4, 3. — Tertullianus, *De Paen.*, 7-12. Ubi animadverte, 4, 12 : « (Paenitentiam) tu, peccator, ... ita invade, ita amplexare ut naufragus alicuius tabulae fidem. » 12, 9 : « Quid ego ultra de istis duabus humanae salutis quasi plancis? » — Hippolytus, *Apostolica Traditio*, in

ordinatione episcopi. — Cyprianus, *Ep.*, 59, 13, p. 681, 4-682, 2. — *Didascal. Apost.*, 2, 41, 1.2. — Athanasius, *fragm. ex catena in Ieremiam, PG.*, 26, 1316 B. — Chrysostomus, *De Sacerdotio*, 3, 6, *PG.*, 48, 644. — Asterius Amasenus, *H.*, 13, *PG.*, 40, 357 A. — Ambrosius, *Paen.*, 1, 2, 7-9, *PL.*, 16,468 A-469 A; 1, 8, 36-37, 477. — Pacianus, *Ep.*, 1, 5.6, *PL.*, 13, 1056-1057; 3, 7.8.11, 1068 B. 1069 B. 1070. — Hieronymus, *Dial. adv. Pelag.*, 1, 33, *PL.*, 23, 527 A : « Paenitentia quae imitatur Baptismum. » *Ep.*, 130, 9 (*Ad Demetriadem*), *PL.*, 22, 1115 : « Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula. » — Augustinus, *De coniug. adult.*, 2, 16, 16. *PL.*, 40, 482. — Leo M., *Ad Theodorum Foroiuliensem, Ep.*, 108, 2, *PL.*, 54, 1011 B. — Ps. Ambrosius, *De lapsu virginis*, 8, 38, *PL.*, 16, 379 A. — Theodulfus Aurelianensis (+ 821), *Capitula*, 36, *PL.*, 105, 203.

2° Cum Lazarum redivivum exhibent tanquam effigiem peccatoris in spiritu redivivi. Origenes, *In Io.*, *L.* 28, 5.6, *PG.*, 14, 692-696. — Ambrosius, *Paen.*, 2, 7, 56.57, *PL.*, 16, 511. — Augustinus, *In Io., Tr.*, 22, 7, *PL.*, 35, 1578; *Tr.*, 50, 24, 1757; *Serm.*, 67, 1, 2-2, 3, *PL.*, 38, 434; *Serm.*, 98, 6.7, 594-595; *Serm*, 295, 3, *PL.*, 38, 1349-1350; *In Ps.*, 101, 2ª p., 3, *PL.*, 37, 1306.

Manifestum est autem totum illud opus foris apparere, siquidem ministris Ecclesiae commendatur cura paenitentium. Igitur non deest res sensibus subiecta, quae ad veritatem Sacramenti requiritur. Nomen autem Sacramenti non ita saepe a Patribus in illa materia usurpatum est. Saec. III, apparet illud nomen apud Novatianum, *inter Epp. Cypriani*, 30, 7, Hartel, p. 555, 8; significatione quidem minime technica. Sed quia Paenitentia habebatur tanquam alter Baptismus, passim computabatur inter Sacramenta Ecclesiae; ut videmus apud Augustinum, *BcD.*, 5, 20, 28, *PL.*, 43, 190; *Ep.*, 228, 8, *PL.*, 33, 1016; *In Ps.*, 146, 8, *Enarr., PL.*, 37, 1903-4: *Serm.*, 351, 9, *PL.*, 39, 1545.

III. *Ratione theologica*. — S. Thomas, 3ª q. 84 a. 1 : « Utrum Paenitentia sit Sacramentum. — ... Manifestum est quod in Paenitentia ita res gesta sit quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris paenitentis quam ex parte sacerdotis absolventis; nam peccator paenitens, per ea quae facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos,

per ea quae agit et dicit circa paenitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Unde manifestum est quod Paenitentia, quae in Ecclesia agitur, est sacramentum. »

a. 6 : « Utrum Paenitentia sit secunda tabula post naufragium. — R.d.q. id quod est per se, naturaliter prius est eo quod est per accidens, sicut et substantia prior est accidente. Sacramenta autem quaedam per se ordinantur ad salutem hominis : sicut Baptismus, qui est spiritualis generatio, et Confirmatio, quae est spirituale augmentum, et Eucharistia, quae est spirituale nutrimentum ; Paenitentia autem ordinatur ad salutem hominis quasi per accidens, et supposito quodam, sc. ex suppositione peccati : nisi enim homo peccaret actualiter, Paenitentia non indigeret, indigeret tamen Baptismo et Confirmatione et Eucharista... Et ideo Paenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis qui confertur et conservatur per Sacramenta praedicta : unde et metaphorice dicitur secunda tabula post naufragium... »

a. 7 : « Utrum hoc Sacramentum fuerit convenienter in NL institutum... »

De ratione peccati, cf. quae docuit S. Thomas. 1ª 2ae q. 71-89 : *Quaestiones disputatae de Malo.*

B. *De forma iudicii.*

Ex ipsa institutione Christi, requiritur in administratione Paenitentiae iudicium sacerdotale : non enim ideo instituit Christus arbitros peccatorum retinendorum aut remittendorum, ut pro lubitu suo ac temere procederent (*Mt.*, 16, 19 ; 18, 18 ; *Io.*, 20, 23) ; sed ut, cognita causa, sententiam ferrent nomine suo. Hinc requiritur iudicium saltem in foro interno — quanquam etiam ad forum externum res spectare potest.

Hoc plane intellexerunt Patres, qui iudicium sacerdotale passim asseruerunt.

Hermas, saec. II Romae, totam Paenitentiae oeconomiam explicat allegorice, omissa quidem diserta mentione iudicii sacerdotalis, sed ita ut appareat causam peccatorum agi coram Ecclesia. Id patet : 1) Ex monitis Ecclesiae, quae in persona venerabilis matronae spectandam Hermae se praebet, eumque admonet ut se ac domum suam ad bonos mores componat ; tum etiam ut audita communicet cum Clemente (Pontifice?) ac presbyteris. *Vis.*, 1-5 ; maxime 2, 4, 3.

2) Ex mandatis ipsius Pastoris; qui quidem non est homo, sed angelus (*Vis.*, 5, 7 : ὁ Ποιμήν, ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας; cf. *Mand.*, 12, 4, 7: 6, 1: *Sim.*, 9, 1, 1: 14, 3 : 23, 5; 24, 4 : 33, 1): sed ita commendat Paenitentiam ut eius cum Baptismo parallelismum demonstret, maxime *Mand.*, 4, 3, 1-6. Unde merito colligitur utriusque administrationem pariter fuisse penes Ecclesiam, nec sine aliquo paenitentium scrutinio.

3) Ex parabolis, in quibus, distinctis variis peccatorum speciebus, de singulis instituitur quaedam δοκιμασία. Maxime *Sim.*, 8 et 9. *Ec.*, p. 87-96. Praeterea, indicantur quaedam remedia paenitentiae, *Sim.*, 6: et perseverantia commendatur. *Sim.*, 10.

Tertullianus, ann. 197, de coetibus christianis, *Ap.*, 39 : « Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur. » — Idem viginti post annis, *Pud.*, 6, 12; 14, 25, non iudicium hominis recusat, sed indulgentem iudicem vituperat.

Cyprianus ostendit exerceri iudicium ecclesiasticum, in foro interno et externo, cum peccatorum modus distinguitur ac pro culpa poena assignatur. Ita maxime *De Lapsis*, 8-14 (sacrificati); 27 (libellatici); 28 (nutantes); 30.31 (paenitentiam simulantes). *Ep.*, 35, 13, p. 633 : libellatici cum sacrificatis non aequandi; *Ep.*, 59, 15-17, p. 686-687, *ad Cornelium P. R.* : iudicium diversum de auctoribus schismatis aut multipliciter facinorosis, ac de vere paenitentibus. — *Théol. de S. Cyprien*, p. 273. — Novatianus, *Inter Epp. Cypr.*, 36, 1, 573.

Origenes, *In Lev.*, *H.*, 5, 3-4, *PG.*, 12, 451 C-454 B; *H.*, 14, 3, 556 A; et alibi saepissime.

Constt. Ap., 2, 11, ed. Funk, p. 47, 22-30 : Ὦ ἐπίσκοπε, ... οὕτως ἐν Ἐκκλησίᾳ καθέζου τὸν λόγον ποιούμενος, ὡς ἐξουσίαν ἔχων κρίνειν τοὺς ἡμαρτηκότας, ὅτι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις εἴρηται : *Mt.*, 18, 18.

Ioannes Chrysost., *De Sacerdotio*, 3, 5.6, *PG.*, 48, 643-4.

Augustinus, *CD.*, 20, 9, 2, *PL.*, 41, 673, coniungit *Ap.*, 20, 4 cum *Mt.*, 18, 18.

Petrus Damianus (+ 1072), *Serm.*, 69, *PL.*, 144, 901 A; *Serm.*, 71, 908 A; *De Sacramento Confessionis.*

Anselmus (+ 1109), *Med.*, 6, *PL.*, 158, 738 A, et ipse Confessionem computat inter Sacramenta Ecclesiae.

Hugo Victorinus, *De Sacramentis christianae fidei,* 2, 14. *PL.,* 176, 549-578.

Bernardus († 1153), *Liber ad milites Templi,* 12, *PL.,* 182, 938 A.

Petrus Lombardus († 1160), 4 *d.,* 2, 1, *PL.,* 192, 842, Paenitentiam computat inter Sacramenta Ecclesiae, et eam pertractat *d.,* 14-22.

De distinctione utriusque Sacramenti, Baptismi et Paenitentiae, cf. Billot. *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis*[3], thes. 5, p. 68.69, Romae, 1900.

Documenta Ecclesiae.

Leo M., *Ad Theodorum ep. Foroiuliensem* (11 iun. 452), de reconciliatione quae fit per praepositos Ecclesiae, *DB.,* 146.

Statuta Ecclesiae antiqua (s. vi), *prolog.,* 18-22.67.84, *PL.,* 56, 880.882.883.887.

Lucius III, *Conc. Veronensi c. Albigenses* (1184), Confessionem peccatorum annumerat « reliquis ecclesiasticis sacramentis », *DB.,* 402.

Innocentius III, *Prof. fidei Waldensibus praescripta* (1208), inter Sacramenta Ecclesiae computat Paenitentiam, *DB.,* 424.

Gregorius X, *Prof. fidei Michaelis Palaeologi,* in *Conc. Lugdunensi* II (1274), *DB.,* 465.

Martinus V, *Propositio Wicleffi reprehensa,* 7 (1418), *DB.,* 587; *Interrogatio Wicleff. et Hussit.,* 20 (1418), *DB.,* 670.

Conc. Florentinum sub Eugenio IV, *Decr. pro Armenis* (22 nov. 1439), *DB.,* 699.

Sixtus IV, *Prop. Petri de Osma damnata,* 9 (9 aug. 1479) (Paenitentia sacramentum naturae), *DB.,* 732.

Leo X, *Bulla Exsurge, Domine* (15 iun. 1520), prop. Lutheri 5, *DB.,* 745.

Conc. Tridentinum, s. 6, *de Iustificatione* (13 iun. 1547), c. 14, de lapsorum reparatione, *DB.,* 807; can. 29, de resurrectione per Dei gratiam, *DB.,* 839; can. 30, de poena temporali exsolvenda, *DB.,* 840. — s. 14, *de Sacramento Paenitentiae* (25 nov. 1551), c. 1, de necessitate et institutione Sacramenti, *DB.,* 894; c. 2, de differentia Baptismi et Paenitentiae, *DB.,* 895; c. 5, de confessione, *DB.,* 899; c. 6, de ministro sacramenti et absolutione, *DB.,* 902; can. 1, Paenitentia verum Sacramentum, *DB.,* 911; can. 2, a Baptismo

distinctum, *DB.*, 912; can. 9, absolutio sacramentalis actus iudicialis, *DB.*, 919.

Pius VI, *Constt. Auctorem fidei, Adv. Pistorienses* (28 aug. 1794), c. 34, *DB.*, 1534.

Pius X, *Decr. Lamentabili* (3 iul. 1907), n. 43 : Paenitentiae Sacramentum non ex Baptismo evolutum, *DB.*, 2043; n. 46, peccator auctoritate Ecclesiae reconciliatus, *DB.*, 2046; n. 47, ad Sacramentum Paenitentiae spectat *Io.*, 20, 22.23, *DB.*, 2047.

Benedictus XV, *CIC* (1917), can. 870-936.

THESIS II

Huius Sacramenti virtus extenditur ad omnia peccata post Baptismum admissa.

Prolegomena.

1. In hac thesi, agimus de extensione potestatis clavium secundum se; ita ut asseramus ex institutione Christi potestatem Ecclesiae in remissione peccatorum non ad certa peccatorum genera coartari, sed complecti omnia; illiusque potestatis Ecclesiam nunquam non fuisse consciam. Quaestio est apprime dogmatica.

Contra docuerunt saec. III Montanistae, negantes remitti posse per ministerium Ecclesiae tria peccata capitalia idololatriae, homicidii, impudicitiae; eaque Deo reservanda statuentes. Lege Tertullianum, *De Pudicitia*. Similiter Novatiani, qui cum se *catharos* (i. e. puros) iactarent, reos graviorum criminum studiose arcebant a paenitentia, et multo magis a venia. Vide ipsius Novatiani epistulas ad S. Cyprianum accurate scriptas nomine cleri romani sub finem anni 250, *inter cypr. epp.*, 30 et 36. Praeterea, ipsius Cypriani *Epp.* 55 (*Ad Antonianum*); 59 (*Ad Cornelium P. R.*); 68 (*Ad Stephanum P. R.*); *epistulam* Cornelii P. R. *ad Fabium Antiochenum*, ap. Eusebium, *H. E.*, 6, 43, *PG.*, 20, 615-630; epistulas Dionysii Alexandrini *ad Novatianum et de Novatiano*, apud eundem Eusebium, *H. E.*, 6,45,633, et 7,8,652; Pseudo-Cyprianum *Ad Novatianum*, ed. Hartel, t. 3, p. 52-69; Ambrosium, *De Paenitentia, PL.*, 16; Pacianum, *Epp. tres ad Sympronianum, PL.*, 13; Hieronymum, *De vir. ill.*, 70, *PL.*, 23, 681.

2. A quaestione dogmatica apprime secerne historicam : num

aliquando ex aliqua oeconomia ipsa Ecclesia sibi praefixerit certos quosdam limites in remissione peccatorum. Qua de re multum disputatum est cum saec. XVII, tum etiam nostra aetate. Negari non potest disciplinam veteris Ecclesiae fuisse rigidiorem. Denegatam quibusdam peccatis veniam usque ad imminentem mortem statuerat Dionysius Petavius, *De paenitentiae vetere in Ecclesia ratione*, 1622 (*Diatriba ex Epiphanis animadversionibus ad haeresim* 59, *quae est Novatianorum*). Idem temperavit sententiam suam cum scriberet *De paenitentia et reconciliatione veteris Ecclesiae moribus recepta*, 1633 (*Diatriba ex notis in Synesium*), ac *De paenitentia publica et praeparatione ad communionem*, 1644 (Adversus Antoine Arnauld). Quomodo nostra aetate illa controversia suscitata sit, vide sis in volumine nostro : *L'Edit de Calliste*, Paris, 1914, quod totum ad hanc thesim pertinet. — Brevius, *DA.*, t. 3, 1755-1784. — Adde sis librum nostrum, *Novatien, Étude sur la théologie romaine au milieu du* III^e^ *siècle*, c. 4. Paris, 1925.

Nos longe probabilius censemus reservationem, quam dicunt, certorum peccatorum usque ad articulum mortis, nunquam fuisse totius Ecclesiae, sed tantummodo quarundam Ecclesiarum per aliquod tempus, donec misericors Dei providentia in remissione peccatorum, post controversias saec. II ad V, in plena luce collocata est.

Probatur thesis. — I. *Scriptura.*

Argumentis in thesi I^a^ allatis, quae de se habent vim universalem, addi potest *Iac.*, 5, 14-15; quanquam proprie ad Extremam Unctionem spectat. Inde patet misericors Domini consilium, omni peccato suum remedium parantis. — Limitatio admitti non potest nisi demonstretur. Non demonstratur autem iis argumentis quae afferuntur. Haec sunt praecipua :

Obiciuntur 1° verba Domini de blasphemia Spiritus irremissibili.

Mt., 12, 31-32 : Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις, ἡ δὲ τοῦ Πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται. Καὶ ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. — Cf. *Mc.*, 3, 28-30; *Lc.*, 12, 10. *EC.*, p. 21-28; *DA.*, 1758-1760.

Quaestio est difficillima, fatente S. Augustino, qui de ea scripsit totum *Sermonem* 71, *PL.*, 38, 445-467. Lege maxime 5, 8, 449. Conabimur secernere certa ab incertis. — 1. Sane cogitari nequit in Domino defectus aliquis potestatis, ex quo delictum condonare non posset; neque defectus voluntatis, cum tam saepe testetur Scriptura voluntatem in Deo dimittendi peccata, v. g., *Ez.*, 33, 11.12; *Ioel*, 2, 32; *Is.*, 1, 16.18; 55, 6.7; *Ier.*, 18, 8. — 2. Bene vero cogitari potest in homine defectus bonae voluntatis, ex quo fiat remissionis incapax. — 3. In definienda natura illius blasphemiae contra Spiritum, non consentiunt Patres. Alii dicunt esse blasphemiam post fidem admissam : Tertullianus, *Pud.*, 13, 19.20. Alii, scelus ingrati animi in homine post Baptismum peccante : Cyprianus, *Testim.*, 3, 28, p. 142, 8-16, coll. *Epp.*, 16, 2, 518; 55, 27, 645; 62, 3, 699; Novatianus, teste Hieronymo, *Ep.*, 42, 1, *PL.*, 22, 477; Ps. Cyprianus, *De Aleatoribus*, 10, p. 102, 12; Origenes et Theognostus, teste Athanasio, *Ep. ad Serapion.*, 4, 10.11, *PG.*, 26, 649 C-652 C; cf. Origen., *In Ioan. L.*, 2, 6, *PG.*, 14,128. Alii, malitiam adscribentis diabolo opera virtutis divinae : *Didache Apost.*, 11, 7.8.11; Irenaeus, *Haer.*, 3, 11, 9, *PG.*, 7, 891 A; Athanasius, *Ep. ad Serapion.*, 4, 20, *PG.*, 26, 668 B-669 A; Hilarius, *In Mt., L.*, 12, 17, *PL.*, 9, 989 B; Ambrosius, *Paen.*, 2, 4, 24, *PL.*, 16, 503 B; Pacianus, *Ep. ad Sympronian.*, 3, 15, *PL.*, 13, 1074 A; Ioannes Chrysost., *In Mt., H.*, 41, 2, *PG.*, 57, 449; Pseudo-Augustinus, *Qq. VNT.*, 102, *PL.*, 35, 2307. Alii praesumptionem veniae, *Constt. Ap.*, 2, 23, 1-2, ed. Funk, p. 89, 24-28. Alii ipsam impaenitentiam : Augustinus, *Serm.*, 71, 4, 7; ib., 12, 20-13, 21; 23, 37, *PL.*, 38, 448-9; 455-6; 466. Alii, haeresim Pneumatomachorum : *Leo M., Serm.*, 75 (*In Pentec.*, 1), 4, *PL.*, 54, 402 C-403 A; *Serm.*, 76 (*In Pentec.*, 2), 4, ib., 406 AB. — Illarum sententiarum vix ulla est quae non contineat aliquid veri. Sed si rem ex contextu diiudicare volumus, prae ceteris eligenda videtur illa sententia quae et antiquitate et suffragiorum numero ac gravitate commendatur : blasphemiam Spiritus intellegi malitiam adversus argumenta divinae virtutis obfirmatam (*Did. Ir. Ath. Hil. Ambr. Pac. Chrys. Pseudo-Aug.*). Qua admissa, minime excluditur sententia Origenis neque sententia Augustini : qui enim ita obfirmaverit animum adversus divinae virtutis argumenta, is praecludet divinae gratiae

aditum ac se privabit venia. 4. Dissentiunt Patres in definienda exclusione a salute quae ibi pronuntiatur. Alii intellegunt absolutam exclusionem, alii relativam tantum, i. e. moralem impossibilitatem seu magnam difficultatem salutis, qualis in Evangelio de divitibus pronuntiatur. *Mt.*, 19, 24. Priorem interpretationem secuti sunt recentiores nonnulli, ut Vega, *Tridentini decreti de iustificatione expositio*, l. 13, c. 9, p. 506, Coloniae, 1572. Posteriorem S. Thomas, 2. 2, q. 14, a. 3 : « Dicitur irremissibile, non quod nullo modo remittatur, sed quia, quantum est de se, habet meritum ut non remittatur : et hoc dupliciter : uno modo quantum ad poenam... alio modo... quoad culpam... in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur. » Hinc Caietanus ait non remitti « secundum regularem cursum ». Maldonatus : « Non quod nunquam remittatur, sed quod is nullam peccati habeat excusationem, ideoque natura sua veniam non mereatur. » Haec posterior interpretatio ad servandam vim verborum sufficit, aut certe non aperte repugnat. — 5. Consentiunt Patres (catholici, nam excipitur Tertullianus iam montanista) negationem remissionis repeti oportere ab incapacitate subiecti, non ab aliqua limitatione potestatis in Ecclesia : omnes enim fatentur tantum potestatis commissum esse Ecclesiae quantum habet ipse Deus. Cf. Knabenbauer, *In Mt.*, t. 1, p. 492, Paris, 1892.

Obiciuntur 2° verba Pauli Apostoli de lapsis post Baptismum.

Heb., 6, 4-8 : Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου καὶ μετόχους γενηθέντας Πνεύματος ἁγίου καὶ καλὸν γευσαμένους Θεοῦ ῥῆμα δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας... — Cf. 10, 26.27 : 12, 16.17. *EC.*, p. 28-32; *DA.*, 1760-1.

Hunc locum Novatiani detorquebant ad negationem omnis Paenitentiae post Baptismum. Est autem eius apud Patres duplex interpretatio. — 1. Interpretes longe plerique ita accipiunt ut inde colligant Baptismum iterari non posse. Quo posito, nihil inde elici potest contra Sacramentum Paenitentiae. Ita Athanasius, *Ep. ad Serapion.*, 4, 3, *PG.*, 26, 653 D-

656 B: Ambrosius, *Paen.*, 2, 2, 7.8, *PL.*, 16, 497 C-498 A; Epiphanius, *H.*, 59, 2, *PG.*, 41, 1020: Chrysostomus, *In Heb.*, *H.*, 9, 2.3, *PG.*, 63, 78-80; Damascenus, *FO.*, 4, 9, *PG.*, 94, 1120. — 2. Verum contextus videtur aliud postulare. Id enim agebatur ut, renovata memoria vocationis christianae, a iudaismo retraherentur homines hebraei ad quos scripta est epistula. Quapropter vv. seqq. additur illis animus. Unde Hieronymus, *Adv. Iovinianum*, *L.*, 2, 3, *PL.*, 23, 286 A B: « Ita locutus sum, inquit Apostolus, ut vos a peccatis retraherem et desperationis metu facerem cautiores. Ceterum confido de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti. Neque enim iustitiae Dei est ut obliviscatur bonorum operum et ministerii quod propter nomen eius exhibuistis et exhibetis in sanctos, et tantum meminerit peccatorum. » Igitur Hieronymus non tam unitatem Baptismi inculcat quam peiorem condicionem lapsorum post Baptismum. Interpretatur autem mentem Apostoli, omittentis catechesim elementarem tanquam lapsis post Baptismum iam inutilem, et convertentis se ad documenta praesenti illorum condicioni accommodata: quae documenta viam paenitendi minime praecludunt.

Ἀδύνατον interpretandum est de omnimoda impossibilitate, quod attinet ad spem alterius Baptismi: minime vero quod attinet ad spem Paenitentiae post Baptismum inundae: siquidem Apostolus illam ipsam Paenitentiam testatur non fore sine fructu, 6, 9. Attende cum Chrysostomo vim participiorum praesentium: ἀνασταυροῦντας, παραδειγματίζοντας, quibus significatur renovari hominem in paenitentiam non posse, in sensu composito impaenitentiae. De spe salutis relicta, cf. 2, 17; 4, 16; 10, 19 sqq.

Etiam 10, 26.27, de Baptismo interpretatur Chrysostomus, *H.*, 20, 1, *PG.*, 63, 143. Ad mentem autem sacri scriptoris accommodatius videtur ut dicatur oratorie urgere Hebraeos ad fidem Christianam conversos, ad peccata autem declinantes, monendo post oblationem qua Christus eos semel sanctificavit, non superesse alteram hostiam qua iterum sanctificentur. Ceterum minime tollit paenitentiam nec veniam, ut ipse Chrysostomus ostendit h. l.

12, 16.17. Conferri potest ipse Chrysostomus interpres, *H.*, 31, 2, *PG.*, 63, 214.5. Ubi animadverte quantum in verbis Apostoli tribuat tempori et argumentationi ad homines: Apos-

tolum stantibus minari exitium irreparabile si ceciderint. lapsis e contra polliceri salutem, ut erigantur.

Obiciuntur 3° verba Ioannis Apostoli de peccato ad mortem.

1 *Io.*, 5, 16 : Ἐάν τις ἴδῃ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα ἁμαρτίαν μὴ πρὸς θάνατον, αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν, τοῖς ἁμαρτάνουσιν μὴ πρὸς θάνατον. Ἔστιν ἁμαρτία πρὸς θάνατον· οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα τις ἐρωτήσῃ. *EC.*, p. 33-37; *DA.*, 1761-2.

Hic quoque locus, a Novatianis appellatus in patrocinium suae haeresis, ex contextu lucem accipit. Lege in eadem epistula, 1, 7-2, 2, quae ante scripserat idem Apostolus de sanguine Iesu emundante nos ab omni peccato; de advocato nostro apud Patrem, Iesu Christo iusto; qui est « propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. » Ceterum per totam epistulam opposuit generationi diabolicae et operibus mortis generationem divinam et opera vitae, 2, 15.16; 3, 8, 10.15; 4, 5.6; 5, 1.2. Idem in Evangelio meminit Agnum Dei tollere peccatum mundi, 1, 29.36; vitam ac salutem parasse omnibus, 3, 3-5; utriusque generationis descriptionem Domino adscribit, 8, 42-44; testatur Dominum non orare pro mundo, 17, 9, sed potestatem concessisse Apostolis dimittendi omnia peccata, 20, 23. Ad locum praesentem quod attinet, memento : 1. Agi de gravissimo peccati genere, propter quod homo et merito addicatur morti sempiternae post hanc vitam, et in hac vita merito eiciatur ab Ecclesia; — 2. Apostolum non prohibere quominus pro eiusmodi homine quis oret, sed tantummodo non hortari; — 3. Agi praecipue de orationibus publicis Ecclesiae, non de iis quas quis privatim offerat. Quanquam vetus Ecclesia non ita penitus abstinebat ab oratione pro infidelibus fundenda, sicut nostra, quae illorum nisi Fer. VI[a] maioris hebdomadae publice non meminit. Cf. Augustinum, *Ep.*, 217, 29, *PL.*, 33, 989. Batiffol, *Leçons sur la Messe*, p. 142 (1919).

Patrum multiplex interpretatio. Pseudo-Basilius, *In Is.*, 4, 4, 137, *PG.*, 30, 341 AB, durus. — Benignior Ambrosius, *Paen.*, 1, 10-11, 44-48, *PL.*, 16, 480 B-481 C : postquam Moysis et Ieremiae meminit, addit tales deprecatores in maximis delictis requiri. — Pacianus, *Ep. ad Sympron.*, 3, 16, *PL.*, 13, 1074 BC, recitato *Io.*, 15, 1 : *Mt.*, 3, 8 : *1 Sam.*, 2, 25; *1 Io.*, 5, 16, ita pergit : « Vides hoc totum ad peccata manentia per-

tinere, non ad eos qui aliquando peccaverint et coeperint paenitere antequam quisquam pro illis roget. » — Augustinus, *De Serm. Domini in monte*, 1, 22, 73, *PL.*, 34, 1266, cum scripsisset : « Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam DNIC quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur » (responsum plane augustinianum), addidit, *Retr.*, 1, 19, 7, *PL.*, 32, 616 : « Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo, in hac vita constituto, non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur. »

Summa conclusionis de *1 Jo.*, 5. 16 : Quidam ita obdurato animo peccant ut indignos se faciant oratione publica Ecclesiae. Non tamen propterea salus eorum desperanda est, siquidem veniam illis potest et oratio fratrum impetrare et Ecclesia concedere.

Probatur II. *Ex disciplina veteris Ecclesiae.*

Tempora apostolica et subapostolica. *EC.*, p. 38-51. *DA.*, 1762.

Act., 5, 1 sqq., in Anania et Sapphira exercetur potestas ligandi.

Act., 8, 20-23, Petrus Apostolus Simonem magum, religionis erga Spiritum S. violatorem, ad paenitentiam et orationem hortatur, « si forte remittatur ei » prava cogitatio.

1 Pt., 4, 7.8; 5, 8; *2 Pt.* 1, 1; 2, 1.20-22; 3,9, spem veniae ostendunt paenitentibus.

1 Cor., 5, 1-13, incestus Corinthi eicitur ab Ecclesia a Paulo; *2 Cor.*, 2, 5-11; 7, 12, idem ab eodem Apostolo absolvitur, ut opinantur Patres (Origen., Greg. Naz., Isidor. Pelus., Ps. Athan., Pac., Ambr., Aug., Greg. M., Chrys., Theodoret., Ambrosiast. Primas.), uno excepto Tertulliano, *Pud.*, 13-17. Indulgentiam Pauli in eum faciunt verisimilem alia dicta Apostoli, *Gal.*, 6, 1; *Rom.*, 13, 11-14, *1 Thes.*, 5,14; 4, 3-7; *1 Tim.* 1, 20 (Hymenaeus et Alexander); 5, 6.11.20.22; *2 Tim.*, 2, 25.26; 3, 3-9; 4, 1; *Tit.*, 3, 10.11.

Iac., 4, 8-10; 5, 15.16.

Iud., 22.23.

Apoc. 2, 14-21, agitur de fornicantibus et idolothyta comedentibus : hi invitantur ad paenitentiam. — Accedit quod, teste Clemente Alexandrino, *Quis dives salvetur*, 42, *PG.*, 9, 648-9, ap. Eusebium, *HE.*, 3, 23, Ioannes Apostolus adulescentem quemdam sicarium et homicidam Ecclesiae restituit· *EC.*, 50.

Didache commendat confessionem peccatorum et paenitentiam, 4, 14; 10, 16; 14, 1; 15, 3.

Clemens P.R., *1 Cor.*, 7, 4-7; 8, 1-5; 51, 3; 57, 2.

Ignatius Antiochenus, *Eph.*, 10, 1: *Rom.*, 4, 1; 5, 1-2: *Philad.*, 3, 1-2; 8,1 : Πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ Κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου. *Smyrn.*, 7. 2; 8, 1.2.

2ª *Clementis*, *Cor.*, 8, 1-3.

Haec plane sufficiunt ut reiciatur tanquam inane figmentum id quod multi rationalistae asserunt : Ecclesiam primaevam sanctis tantum constitisse; postea, ingravescentibus vitiis, intellectam esse necessitatem reconciliandi eos qui in graviora delicta incidissent, et ita Sacramentum Paenitentiae ortum esse. Historia testatur ab exordio Ecclesiae fuisse gravia peccata quae reconciliatione egerent, nedum illa saec. demum III° apparuerint, antea inaudita.

Pastor Hermae (100-150?) *EC.*, c. 3, p. 52-113; *DA.*, 1764-1771.

Apocalypsis Romae scripta (*Vis.*, 1, 1, 1) et ad paenitentiam cohortatio. Tempus accurate definiri nequit. Origenes, *In Rom.*, 10, 31, *PG.*, 14, 1282 B, putavit scriptorem esse illum Hermen de quo Apostolus, *Rom.*, 16, 14; sed hoc defendi non potest. Videtur meminisse Clementis P. R. (+ circa 97), *Vis.*, 2, 4, 3. Sed fragmento Muratoriano, l. 73-80, dicitur fuisse frater Pii P. R. (140-155) et illo sedente scripsisse; quod plerique patrologi admittunt. Manifestum est autem non omnia eodem tempore esse scripta.

Libellus allegoricus varias habuit interpretationes, cum alii Hermam rigidiorem Montano facerent (Funk, *KGAU.*, t. 1, p. 171), alii econtra exorienti Montanismo obstitisse assererent (Stahl, *Patristische Untersuchungen*, t. 1, p. 295, Leipzig, 1901). Sane ab antiquis minime habitus est ut rigidae disciplinae auctor; immo tanquam laxioris disciplinae notatus. Cf. Tertullianum, *Or.*, 16, *PL.*, 1, 1172; *Pud.*, 10.20, *PL.*, 2,

1000.1021: Clementem Alex., *Str.*, 2, 13, *PG.*, 8, 993 B-996 B. Nos attingemus illas partes quae ad doctrinam de paenitentia maioris sunt momenti.

Vis., 3, 3, 3-7, 6. Aedificatur turris, quae est ipsa Ecclesia, 3. 3. 3 : Ὁ πύργος ὃν βλέπεις οἰκοδομούμενον, ἐγώ εἰμι ἡ Ἐκκλησία. Fundamentum in aquis, quia in Baptismo fundatur omnis vita christiana: lapides sunt fideles baptizati, 3, 5, 1. Urgetur aedificatio, propter imminentem mundi finem et adventum Domini, 3. 8, 9; 9, 5. Nemo desperatus nisi qui in finem discedat a Deo, 3, 7, 2. Ad interpretationem 3, 5, 5 et 3, 7, 6, adhibeatur *Sim.*, 6, 3-5. De illis agitur quos ante legitimam et salutarem paenitentiam variis poenis exercet Dei clementia. Poenarum exactor Pastor, ὁ Ποιμήν, ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας, *Vis.*, 2, 4, 1; 3, 10, 7; 5,3.

Mand., 4, explicat Pastor rationem paenitentiae. Quaerebatur num coniugem peccantem, si paeniteret, oporteret suscipi ab altero coniuge. Respondet Pastor, *Mand.*, 4, 1, oportere suscipi semel, non ita tamen ut detur facultas ultra peccandi. Denuo interrogante Herma, sic prosequitur, 4, 3 :

Ἔτι σημί, κύριε, προσθήσω τοῦ ἐπερωτῆσαι. — Λέγε, φησίν. — Ἤκουσα, φημί, κύριε, παρά τινων διδασκάλων, ὅτι ἑτέρα μετάνοια οὐκ ἔστιν εἰ μὴ ἐκείνη, ὅτε εἰς ὕδωρ κατέβημεν καὶ ἐλάβομεν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἡμῶν τῶν προτέρων. — Λέγει μοι· Καλῶς ἤκουσας· οὕτω γὰρ ἔχει. Ἔδει γὰρ τὸν εἰληφότα ἄφεσιν ἁμαρτιῶν μηκέτι ἁμαρτάνειν, ἀλλ' ἐν ἁγνείᾳ κατοικεῖν. Ἐπεὶ δὲ πάντα ἐξακριβάζῃ, καὶ τοῦτό σοι δηλώσω, μὴ οἰόμενος ἀφορμὴν τοῖς μέλλουσι πιστεύειν ἢ τοῖς νῦν πιστεύσασιν εἰς τὸν Κύριον. Οἱ γὰρ νῦν πιστεύσαντες ἢ μέλλοντες πιστεύειν μετάνοιαν ἁμαρτιῶν οὐκ ἔχουσιν, ἄφεσιν δὲ ἔχουσι τῶν προτέρων ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Τοῖς οὖν κληθεῖσι πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν ἔθηκεν ὁ Κύριος μετάνοιαν· καρδιογνώστης γὰρ ὢν ὁ Κύριος καὶ πάντα προγινώσκων ἔγνω τὴν ἀσθένειαν τῶν ἀνθρώπων καὶ τὴν πολυπλοκίαν τοῦ διαβόλου, ὅτι ποιήσει τι κακὸν τοῖς δούλοις τοῦ Θεοῦ καὶ πονηρεύσεται εἰς αὐτούς· πολύσπλαγχνος οὖν ὢν ὁ Κύριος ἐσπλαγχνίσθη ἐπὶ τὴν ποίησιν αὐτοῦ καὶ ἔθηκεν τὴν μετάνοιαν ταύτην, καὶ ἐμοὶ ἡ ἐξουσία τῆς μετανοίας ταύτης ἐδόθη. Ἀλλὰ ἐγώ σοι λέγω, φησί· μετὰ τὴν κλῆσιν ἐκείνην τὴν μεγάλην καὶ σεμνὴν ἐάν τις ἐκπειρασθεὶς ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἁμαρτήσῃ, μίαν μετάνοιαν ἔχει· ἐὰν δὲ ὑπὸ γεῖρα ἁμαρτάνῃ καὶ μετανοήσῃ, ἀσύμφορόν ἐστι τῷ ἀνθρώπῳ τῷ τοιούτῳ· δυσκόλως γὰρ ζήσεται. — Λέγω αὐτῷ· Ἐζωοποιήθην ταῦτα παρά σου ἀκούσας οὕτως ἀκριβῶς, οἶδα γὰρ ὅτι, ἐὰν μηκέτι προσθήσω ταῖς ἁμαρτίαις μου, σωθήσομαι. — Σωθήσῃ, φησίν, καὶ πάντες ὅσοι ἐὰν ταῦτα ποιήσωσιν.

Ad interpretationem, haec animadverte.

Audivit Hermas παρά τινων διδασκάλων nullam esse paenitentiam nisi quae fiat ante Baptismum. Illi τινες διδάσκαλοι aliquibus visi sunt fuisse auctores rigidioris disciplinae, cui Hermas obsisteret. Sed non ita est. Prorsus enim laudantur ab eo Καλῶς ἠκουσας· οὕτω γὰρ ἔχει); quanquam postea addit Dominum pro sua misericordia consuluisse saluti etiam illorum qui indigerent altera paenitentia. Igitur non sunt illi magistri auctores rigidioris disciplinae, sed, ut videtur, catechistae authentici Ecclesiae Romanae. — Accurate distinguitur, cum ab Herma tum ab ipso Pastore, ἄφεσις ἁμαρτιῶν, quae accipitur in Baptismo, et μετάνοια. Illam quidem nominat Hermas bis, Pastor semel; hanc Hermas semel, Pastor quinquies: ita ut omnino appareat latius patere μετάνοιαν quam ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: si quidem μετάνοια conceditur quibusdam etiam post Baptismum. — Summopere cavet Pastor, dum respondet Hermae sciscitanti ἐπεὶ πάντα ἐξακριβάζῃ), ne cuiquam scandalum creet, quasi proposita facilitate peccandi (μὴ δίδους ἀφορμήν), cf. 4, 1, 11. Tradit tamen Hermae monitum quoddam, ad ipsius curiositatem accommodatum. Alii autem, sive iam fideles sunt πιστεύσαντες sive futuri sunt μέλλοντες πιστεύειν, monendi sunt ne cogitent de aliqua paenitentia post Baptismum concessa: oportebat enim ἔδει innocentiam in Baptismo acceptam, ab omnibus inviolatam servari. — Fideles (οἱ πιστεύσαντες) alio etiam nomine appellantur: τοῖς κληθεῖσι πρὸ τούτων τῶν ἡμερῶν, quae verba aliquando ad sententiam non rectam detorta sunt, quasi alia esset condicio iam credentium, alia crediturorum, et Hermas futurus esset praeco indulgentiae cuiusdam semel tantum concessae (alicuius iubilaei). Qui ita interpretantur, accipiunt vocem κληθεῖσι de ipsa vocatione ad paenitentiam, quae hic et nunc fiat per Hermam. Ita Zahn, *Der Hirt von Hermas*, p. 353, Gotha, 1868; Gebhardt-Harnack-Zahn, *Patrum Apostolicorum Opera*[3], fasc. 3, p. 83, Lipsiae, 1877; Funk, *KGAC.*, t. 1, p. 169, Paderborn, 1897; G. Rauschen, *l'Eucharistie et la Pénitence durant les six premiers siècles de l'Église* trad. de l'allemand), Paris, 1910, p. 137-141; O. D. Watkins, t. 1, p. 57. Sed non ita est. Nam nullum est in toto opere Hermae vestigium eiusmodi vocationis; vox καλεῖν hic spectat ad vocationem fidei, ut saepe in NT., *Rom.*, 11, 29; *1 Cor.*, 1, 26; 7, 15-24; *Eph.*, 1, 18; 4, 1; *Phil.*, 3, 14;

2 *Thess.*, 1, 11; *Heb.*, 3, 1; *1 Pt.*, 1, 10: ita etiam perpetuo apud Hermam; paulo infra, μετὰ τὴν κλῆσιν ἐκείνην τὴν μεγάλην καὶ σεμνήν, praeterea *Sim.*, 8, 1, 1; 11, 1; 9, 14, 5; 17, 4. Confirmatur ea interpretatio multiplicibus indiciis, sive ex contextu, sive ex auctoritatibus. Pronomen ἐκείνην h. l. non potest respicere vocationem quae fiat in praesenti, sed tantummodo vocationem aliquam longinquam, ut est illa vocatio fidei. Clemens Alexandrinus, et tempore et omni eruditione paratissimus ad assequendam veram Hermae sententiam, accepit κληθεῖσι, κλῆσιν, de vocatione fidei, et locum intellexit ut nos, *Str.*, 2, 13, *PG.*, 993 B-996 B. — Hoc posito, sequitur fidelibus post Baptismum lapsis esse paenitentiam paratam semel a Deo, sed id non temere nec omnibus proponendum, ne liberius peccent. Non aliter in hac re se gessit Pastor quam multi catechistae illius aetatis et aetatum posteriorum, qui, ne hominibus viam peccandi aperirent, servaverunt prudentem oeconomiam silentii. Exemplo sint 2 *Clem.*, *Cor.*, 8, 6; Iustinus, *Dial.*, 44, *PG.*, 6, 752 A, coll. 7 et 141; Tertullianus, *Bapt.*, 15, *PL.*, 1, 1216; Origenes, *In Ier.*, *H.*, 19, 4, *PG.*, 13, 508 D: Ambrosius, *Paen.*, 2, 10, 95, *PL.*, 16, 520 A; Pacianus. *Ad Sympr. Ep.*, 1, 5, *PL.*, 13, 1055; Chrysostomus, *In Hb.*, *H.*, 31, 2, *PG.*, 63, 215; Augustinus, *Serm.*, 352, 3, 8, *PL.*, 39, 1558. — Vox δυσκόλως 4, 3, 6, significat difficultatem, secundum proprietatem vocis recurrentis *Mand.*, 9, 6; 12, 1, 2; *Sim.*, 8, 10, 2; 9, 20, 2.3; 23, 3; non plenam negationem, ut placuit Rauschen, p. 141. — Omnibus perpensis, nisi volumus Pastorem sibi ipsi contradicere intra unam eandemque paginam, dicendum est eum variis hominum generibus consuluisse ac propterea varia doctrinae capita coniunxisse : 4, 3, 1-3, iis consulit qui nuper ad fidem accesserunt aut mox accessuri sunt, quibus expedit solam Baptismi paenitentiam nosse; 4, 3, 4-6, iis consulit quibus post Baptismum iam opus est altera paenitentia, ne desperent. Haec non ex incertis indiciis, sed ex ipsius assertis constant. Testificatur autem prudenti oeconomiae, cuius auctor Paulus, *Heb.*, 6, 4-6.

Sim., 8 (de virgis) et 9 (de turri ac duodecim montibus) facile cogitationem iniciunt iudicii sacerdotalis de paenitentia. — 8, 6, 5, inducuntur nonnulli ὑποκριταὶ καὶ διδαχὰς ξένας εἰσφέροντες καὶ ἐκστρέφοντες τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ, μάλιστα δὲ τοὺς ἡμαρτηκότας, μὴ ἀφιέντες μετανοεῖν αὐτούς, ἀλλὰ ταῖς διδαχαῖς ταῖς μωραῖς πείθοντες

αὐτούς. Qui sibi visi sunt *Mand.*, 4, 3 deprehendere auctores quosdam rigidioris disciplinae, quandoque sibi persuadent eosdem hic rursum apparere. Ita Watkins, t. 1. p. 47.65. Sed minime ita est. Nam magistri, de quibus *Mand.*, 4, 3 agitur, laudantur a Pastore, et quidem tanquam auctores verae paenitentiae ante Baptismum agendae. Hypocritae autem, de quibus *Sim.*, 8, 6, 5, vituperantur a Pastore, et quidem tanquam inimici omnis paenitentiae post Baptismum agendae; nam δοῦλοι τοῦ Θεοῦ sunt fideles iam baptizati, et peregrinorum dogmatum invectores. Hi patrocinantur vitio, non rigidiori disciplinae. — Ad Hermae sententiam quod attinet, duo possunt statui :

1. Nemo vere paenitens excluditur a salute. *Sim.*, 8, 6, 6. Immo, saepe asseritur haec esse voluntas Dei, ut omnes convertantur et vivant : sic 8, 2, 9 ; 9, 7, 2. Maxime omnium periclitantur impudici et apostatae. Impudicis quidem vix ulla spes superest, si assidue peccent. *Mand.*, 4, 3, 6. Pessima condicio apostatarum, in primo monte constitutorum, 9, 19, 1. Nihilominus hi, si pereant, imputent sibi perditionem suam : nam si resipiscere voluerint, salvi erunt, quamvis ad idololatriam usque declinaverint. 9, 21, 3.4 : ... Οἱ δίψυχοι, ὅλίγιν ὅταν ἀκούσωσι, διὰ τὴν δειλίαν αὐτῶν εἰδωλολατροῦσι καὶ τὸ ὄνομα ἐπαισχύνονται τοῦ Κυρίου αὐτῶν. Οἱ τοιοῦτοι οὖν οὔτε ζῶσιν οὔτε τεθνήκασιν. Ἀλλὰ καὶ οὗτοι, ἐὰν ταχὺ μετανοήσωσιν, δυνήσονται ζῆσαι. Cf. *Mand.*, 4, 11, 3. — Hi tantum omni spe carent, qui ex animo negaverint et inhaereant suae negationi. *Sim.*, 9, 26, 5. — Addit quidem Pastor non eandem fore copiam misericordiae divinae post illos dies quae ante fuit : *Vis.*, 2, 2, 5.8 : *Sim.*, 9, 26, 6 : quod partim imminentiae finis videtur adscribendum, partim industriae sacri praeconis, divini iudicii terrorem incutientis.

2. Doctrina paenitentiae est, si formam spectes, allegorica : si ipsam rem, apprime ecclesiastica. Ecclesia primo apparet Hermae (*Vis.*, 1-4), eumque tradit Pastori instituendum. Salus promittitur iis qui vivi pertinuerint ad aedificium turris, quae est Ecclesia : tum fortasse iis quos patientia primo ac deinde paenitentia ultro suscepta vivos admoverit Ecclesiae. — Cf. *EC.*, p. 104-113.

Saeculum II. EC., p. 114-133. *DA.*, 1772.

Vestigia passim apparent paenitentiae in Ecclesiae actae. Ad eam haeretici admissi sunt : Cerdo, teste Irenaeo, *H.*, 3, 4,

3, *PG.*, 7, 857 A, saepius paenitens; Marcion et Valentinus, teste Tertulliano, *Praescr.*, 30; cf. Pseudo-Tertull., *Adv. omn. haer.*, 6; Epiphan., *H.*, 42, 1, *PG.*, 41, 696, ubi Marcion etiam stupri reus perhibetur; haeretici a S. Polycarpo Romae, Aniceto pontifice, ad Ecclesiam conversi, teste Irenaeo, *H.*, 3, 3, 4, *PG.*, 7, 852 B; feminae a Gnosticis corruptae, propter haeresim et impudicitiam paenitentiam in Ecclesia professae, teste Irenaeo, *H.*, 1, 6, 3, *PG.*, 7, 508 B; 13, 5, 588 B; 13, 7, 592 A. Ceterum Irenaeus solet gravissimis anathematis notare cum haereticos omnes, tum praecipue impudicos : *H.*, 4, 27, 4, *PG.*, 7, 1060 A-1061 B. Id quidem ex institutione cuiusdam presbyteri, edocti ab illis qui Apostolos viderant. Sed hinc minime sequitur nullam esse graviorum delictorum veniam sub NT.; quam presbyterorum romanorum fuisse sententiam vult Hugo Koch, *ZSTNW.*, 1908, p. 35-46. Electorum a Deo duplex genus novit Irenaeus : unum eorum qui pacem Dei ab initio servaverint, alterum eorum qui amissam recuperarint, *H.*, 1, 10, 1; 4, 40, 1; 5, 11, 1, *PG.*, 7, 552 A; 1112 C; 1150 B. Ignis aeternus paratus est utique perseverantibus in apostasia, *H.*, 3, 23, 3.4; 5, 26, 2, *PG.*, 7, 962; 1194 B-1195 A.

Confessores Lugdunenses, circ. ann. 178, nonnulli cum primo suppliciis cessissent, deinde a ceteris in Ecclesiam recepti, fortiter martyrium fecerunt. Eusebius, *HE.*, 5, 1, 45. 46, ed. Schwartz p. 420. — Natalis confessor, ad theodotianam haeresim allectus et in ea episcopus factus, postea reconciliatus est a Zephyrino P. R.; cf. Eusebius, *HE.*, 5, 28, *ib.*, 500.

Iustinus, omnino cum Herma, *Mand.*, 4, 3, proponit unicam salutis viam innocentiam vitae post Baptismum, *Dial.*, 44, *PG.*, 6, 572 A : Ἔστι δ' οὐκ ἄλλη (ἐλπὶς) ἢ αὕτη, ἵνα τοῦτον τὸν Χριστὸν ἐπιγνόντες καὶ λουσάμενοι τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν διὰ Ἡσαΐου κηρυχθὲν λουτρόν, ἀναμαρτήτως λοιπὸν ζήσετε. Sed minime tollit Paenitentiam post Baptismum, ut falso putavit Funk, *KGAU.*, t. 1, p. 173. Nam reversis ab apostasia ad fidem, salutem pollicetur, *ib.*, 47, 577 B-580 A. Docet neminem a Deo damnari nisi incorrigibilem, *ib.*, 141, 797 C-800 A : Εἰ δὲ ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ προμηνύει πάντως τινὰς καὶ ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους κολασθήσεσθαι μέλλοντας, διότι προεγίνωσκεν αὐτοὺς ἀμεταβλήτους γενησομένους πονηροὺς προεῖπε ταῦτα, ἀλλ' οὐχ ὅτι αὐτοὺς ὁ Θεὸς τοιούτους ἐποίησεν. Ὥστε, ἐὰν μετανοήσωσι, πάντες βουλόμενοι τυχεῖν τοῦ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐλέους δύνανται. — Cf. Feder, *ZSKT.*, 1905, p. 758-761.

Dionysii Corinthii insigne testimonium apud Eusebium, *HE.*, 4, 23, 6, Schwartz, p. 374, 24-376, 2, ad ponticas Ecclesias : Πολλὰ δὲ περὶ γάμου καὶ ἁγνείας τοῖς αὐτοῖς παραινεῖ, καὶ τοὺς ἐξ οἵας δ' οὖν ἀποπτώσεως, εἴτε πλημμελείας εἴτε μὴν αἱρετικῆς πλάνης, ἐπιστρέφοντας δεξιοῦσθαι προστάττει.

Clemens Alexandrinus Hermam interpretatur, *Str.*, 2, 13, 56-57, *PG.*, 8, 993 B-996 B. — *Quis dives salvetur*, 38-39, *PG.*, 9, 643 (rectius Stählin, p. 185) : Παντὶ γὰρ τῷ μετ' ἀληθείας ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἐπιστρέψαντι πρὸς τὸν Θεὸν ἀνεῴγασιν αἱ θύραι, καὶ δέχεται τρισάσμενος Πατὴρ υἱὸν ἀληθῶς μετανοοῦντα... *Ib.*, 42, *PG.*, 9, 648-9; Stählin, 188-190, de adulescente a Ioanne Apostolo Ecclesiae restituto.

Tertullianus. 1) *De Paenitentia* (200/206). *EC.*, p. 136-171; *DA.*, 1774-6.

Hunc libellum Tertullianus scripsit catholicus. Agit (1-4) de virtute paenitentiae universim, quam definit 1, 1 : « passionem animi quandam, quae veniat de offensa sententiae peioris ». Tum (5-6) de illa paenitentia quam agi oportet ante Baptismum. Postremo (7-12) de paenitentia quae fit post Baptismum. Haec postrema pars varias passa est interpretationes.

F. X. Funk, *KGAU.*, t. 1, p. 166 (1897), asseruit ibi agi de pace cum Deo habenda, nullatenus cum Ecclesia. Contra scripsit G. Esser, *Die Bussschriften Tertullians De Paenitentia und De Pudicitia und das Indulgenzedikt der Papstes Kallistus*. Bonn, 1905. Argumentis Esseri compulsus Funk, *TQS.*, t. 88, p. 542 sqq. (1906) fassus est etiam de pace cum Ecclesia agi ; sed id ita coartavit ut negaret utramque pacem natura sua coniungi. Similia legi possunt apud Batiffol, *BLE.*, 1906, p. 339 sqq., Vacandard, *RCF.*, 1er avril 1907, p. 113 sqq. — Nos illam sententiam tuebimur quam et ante Esser statuimus in nostra *Théologie de Tertullien* (Paris, 1905) et post illum in *Édit de Calliste* (1922). Haec est :

1° Toto libello *Paen.*, agi de peccatis per ministerium Ecclesiae remittendis (contra Funk [1]).

2° Toto libello *Paen.*, agi de pace Ecclesiae, ut natura sua coniuncta cum pace Dei (contra Funk [2], Batiffol, Vacandard).

Exscribetur hic locus summi momenti, *Paen.*, 7 :

[1] Hucusque, Christe Domine, de paenitentiae disciplina servis tuis dicere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non

oportet audientibus; vel nihil iam de paenitentia noverint, nihil eius requirant. [2] Piget secundae, immo iam ultimae spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio paenitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. [3] Absit ut aliquis ita interpretetur quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad paenitendum, et redundantia clementiae caelestis libidinem faciat humanae temeritatis. [4] Nemo idcirco deterior sit quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur. Ceterum finem utique evadendi habebit, cum offendendi non habebit. Evasimus semel; hactenus periculosis nosmetipsos inferamus, etsi iterum evasuri videmur. [5] Plerique naufragio liberati exinde repudium et navi et mari dicunt, et Dei beneficium, salutem suam sc., memoria periculi honorant. Laudo timorem. diligo verecundiam : nolunt iterum divinae misericordiae oneri esse; formidant videri inculcare quod consecuti sunt; bona certe sollicitudine iterum experiri vitant quod semel didicerunt timere. [6] Ita modus temeritatis testatio est timoris. Timor autem hominis Dei honor est. [7] Sedenim pervicacissimus hostis ille nunquam malitiae suae otium facit. Atquin tunc maxime saevit cum hominem plene sentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum exstinguitur. [8] Doleat et ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suae erasos. Dolet, quod ipsum et angelos eius Christi servus ille peccator iudicaturus est. [9] Itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris saecularibus irretire, aut fidem terrenae petestatis formidine evertere, aut a via recta perversis traditionibus detorquere; non scandalis, non tentationibus deficit. [10] Haec igitur venena eius providens Deus, clausa licet ignoscentiae ianua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo paenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed iam semel, quia secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra. [11] Non enim et hoc semel satis est? Habes quod iam non mereberis; amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat unde restituas quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato. [12] Maius est enim restituere quam dare, quoniam miserius est perdidisse quam omnino non accepisse. Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis paenitentiae debitor fuerit. [13] Pigeat sane peccare rursus, sed rursus paenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed iterum liberari neminem pudeat : iteratae valetudinis iteranda medicina est. [14] Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem.

Ad interpretationem, haec animadverte.

A mentione Baptismi exorsus, attingit T. alterum institutum, ad instaurandam, si opus fuerit, indulgentiam Baptismi destinatum : unde iam verisimile fit institutum eiusdem naturae esse, i. e. ecclesiasticum. Caute ac dubitanter procedit, ne cuiquam praebere videatur spatium ultra delinquendi. Naufragii similitudine describit condicionem hominis post Baptismum lapsi; Paenitentiam ostendit tanquam alteram post naufragium tabulam (cf. 4, 2; 12, 9). Nulla apparet umbra remissionis quae non fiat per Ecclesiam. In describenda autem impugnatione diaboli, nullum tentationis genus praetermittitur : non tentationes carnis (9 : concupiscentia carnali ; non ulla scelerum incitamenta (illecebris saecularibus : non periculum apostasiae (terrenae potestatis formidine) aut haeresis (perversis traditionibus). Ceterum paulo infra (8, 1) distinctius commemorabitur stuprum et idololatria, ut quorum paenitentia suadeatur. Et in alio scripto eiusdem aetatis, commemoratur remissio adulterii. *Pat.*, 12 : « Patientia... paenitentiae ministrat. Solita lapsis subvenire, haec exspectat, haec exoptat, haec exorat paenitentiam quandoque inituris salutem. » Ceterum in ipso libello *Paen.*, parallelismus Baptismi et Paenitentiae multipliciter illustratur : 6, 6 de Baptismo) : « Tunc, opinor, emendatos liquebit cum absolvimur.., cum Deus ignoscit. » — 8, 2 (de Paenitentia) : « Non comminaretur autem (Spiritus) non paenitenti, si non ignosceret paenitenti. » 9, 6 : « (exomologesis) cum condemnat, absolvit. » 10, 8 : « Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere quam palam absolvi? » Hic locus manifeste respicit absolutionem in Ecclesia factam. Intellege : An melius est damnatum (in conscientia Dei) latere, quam palam (etiam in existimatione hominum) absolvi? Aliis verbis : Utra condicio est melior, num illius fidelis qui, gravis peccati reus, refugit ignominiam paenitentiae publicae et perseverat communicare cum Ecclesia, quamvis onerata conscientia; an illius qui, gravis peccati reus, amplectitur paenitentiam publicam et absolvitur coram Deo et Ecclesia? — Huc etiam spectat illa reconciliatio peccatoris de qua 7, 14; 11, 3; et illa eiusdem restitutio de qua 8, 4; 12, 7.9 (noli autem huc trahere 7, 11 : ibi enim agitur de restitutione qua peccator restituat seu

recuperet *id quod amisit,* non qua *ipse* in integrum restituatur). Ceterum metaphora : « exomologesis... absolvit », minime excludit sententiam ecclesiasticam reconciliationis, sed tantummodo declarat quid praestare oporteat hominem ut possit reconciliari. — Haec omnia longe illustriora fient postquam contulerimus dicta eiusdem Tertulliani, in libello *De Pudicitia* evertentis quae in libello *De Paenitentia* scripserat. Interim animadvertamus nullam exceptionem, nullam distinctionem peccatorum fieri, unde censeantur quaedam peccatorum genera subtrahi sententiae ecclesiasticae.

2 *De Pudicitia* (circa 220). *EC.*, p. 172-216. *DA.*, 1776-8.

1. Tertullianus iam montanista vehementer insectatur « Pontificem maximum, episcopum episcoporum » (1, 6), quem olim putarunt esse Zephyrinum (199-217); nunc plerique putant esse Callistum (218-222), in cuius personam, inventis et editis Philosophumenis Hippolyti (Oxonii, 1851), illa historia visa est melius quadrare. Ita Rossi, *Bullettino di archeol. cristiana,* 1866, p. 26; Harnack, *ZSKG.*, 1878, t. 2, p. 582; post hos, multi. Insectatur praeterea « psychicos » omnes, i. e. catholicos.

Indignationem Tertulliani commoverat edictum, ut ait, peremptorium, a Pontifice propositum his verbis : « Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto. » *Pud.*, 1, 6. Hinc omnem sibi cum psychicis societatem abrumpendam censuit, et in abrupta societate gloriatur, 1, 1-12, adhibitis verbis Apostoli, *1 Cor.*, 13, 11. Ergo statim a limine apparet Tertullianum non constantiae laudem sibi vindicare, sed ab indulgentia psychicorum erga vitia recedere velle ac viam novae cuiusdam severitatis inire. Hinc nititur omnia argumenta quibus, *Paen.*, catholicam de paenitentia doctrinam fulserat, evertere.

2. Testimonia S. Scripturae de misericordia Dei refert et irridet; multo plura congerit de severitate Dei. — 3. Argumentum refert quo catholici uti solebant, ut omni paenitentiae propositam veniam assererent. « Si enim, inquiunt, aliqua paenitentia caret venia, iam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur paenitentia, si caret venia. Omnis autem paenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur... Merito itaque opponunt, quod huius quoque paenitentiae fructum,

i. e. veniam, in sua potestate usurpaverunt : quantum enim ad illos a quibus pacem humanam consequitur, frustra agitur : quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere, et utique mortalia, non frustra agetur. » Hinc discimus et quid T. ipse catholicus olim docuerit (non enim haec tanquam recens commentum profert), et quid iam montanista docere coeperit : hic primum apparet illa distinctio pacis humanae et divinae, remissionis peccatorum in terra et in caelo, cuius neque apud Hermam neque in libello *Paen.*, vestigium deprehendimus; apparet autem tanquam genuinus foetus haeresis montanisticae. — 4. Instituit censum peccatorum quae veniam ab hominibus consequi non possint, et primam nominat impudicitiam. — 5. Adiungit idololatriam et homicidium. — 6. Ostendit damnari illa tria peccata in VT. : multo magis in NT. — 7-9. Retractat exegesim quam, *Paen.*, 8, tradiderat, parabolarum misericordiae, ita ut doceat in ove errante et drachma perdita et filio prodigo figurari non christianum peccantem, sed ethnicum adhuc alienum ab Ecclesia. — 10. Ad confirmandam illam exegesim inauditam, exempla affert Ionae praedicantis apud Ninivitas paenitentiam et Ioannis Baptistae etiam ad ethnicos praedicantis. Retractat etiam quae *Paen.*, 7 docuerat (ubi parallelismus cum Herma. *Mand.*, 4,3. manifestus est), et Hermam notat, ideo quod « Scriptura Pastoris solos moechos amet ». — 11. Exempla Domini in Evangelio indulgentis aliquid peccatoribus et contactum corporis sui feminae peccatrici permittentis recusat : « soli Domino hoc licet. » — 12. Pariter negat favere adversariis scripta apostolica; ac primo quidem decretum apostolicum, *Act.*, 15, 28-29, suae sententiae accommodat. — 13-17. Incestum illum Corinthi a Paulo damnatum, *1 Cor.*, 5, negat ab eodem Apostolo esse absolutum, *2 Cor.*, 2. Ex omnibus epistulis paulinis damnationem impudicitiae multipliciter colligit. — 18. Addit auctoritates ex VT., et maxime conatur enervare *Ez.*, 33,11 (quem locum, *Paen.*, 4, 2.7, protulerat), adhibita auctoritate Pauli. Haec summa conclusionis, 18, 17.18 : « Ita clementia illa Dei malentis paenitentiam peccatoris quam mortem, ad ignorantes adhuc et adhuc incredulos spectat, quorum causa liberandorum venerit Christus, non qui iam Deum norint et sacramentum didicerint fidei. Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit,

utique et paenitentia ad se clementiam invitat, salva illa paenitentiae specie post fidem, quae aut levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit, aut maioribus et irremissibilibus a Deo solo. » Locus diligenter animadvertendus; nam ibi primum (quamvis in assertione falsissima) apparet episcopus arbiter peccatorum remittendorum (Iam 13,7 inducebatur exomologesis moderator). — 19. Etiam Ioannis Apostoli patrocinium psychicis eripere conatus, retractat quae, *Paen.*, 8, 1, scripserat de Spiritu invitante homines ad paenitentiam. Feminam Iezabel, de qua *Ap.*, 2, 15, negat aut fuisse de Ecclesia aut, si fuit, invitari ad eam paenitentiam quam sequatur restitutio in Ecclesiam. Psychicis appellantibus *1 Io.*, 1, 7, opponit, praeter alios eiusdem epistulae locos, maxime *1 Io.*, 5, 16, de delicto ad mortem. — 20. Etiam ex « epistula Barnabae » (quo nomine appellat *Ep. ad Hebraeos*) adducit *Hb.*, 6, 4-8, tanquam secundae paenitentiae exclusivum in moecho et fornicatore. Huc etiam vertit *Lev.*, 13, 12-14; 14, 36-42; 19, 20. — 21. Ad concludendum opus, ipsam potestatem clavium, in qua catholici plurimum nitebantur, totis viribus impugnat; ita quidem ut eam verbo tenus asserat, reapse transferat ab hierarchia catholica ad « Ecclesiam Spiritum », i. e. ad conventicula montanistarum. 21, 7 : « Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. — Hoc ego magis agnosco et dispono, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem : « Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant. » — Iam ipsum fundamentum aggreditur, 21, 9 : « De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius Ecclesiae usurpes : si quia dixerit Petro Dominus : « Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » , vel : « Quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in caelis », idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, i. e. ad omnem Ecclesiam Petri propinquam, qualis es, evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem? « Super te, inquit, aedificabo Ecclesiam meam », et : « Dabo tibi claves », non Ecclesiae; et « Quaecumque solveris vel alligaveris », non quae solverint vel alligaverint. » Concessam esse illam potestatem Petro ut homini singulari, non ut personae publicae, confirmare nititur T. ex *Act.*, 2.5.15; et ad novos prophetas (montanistas) vult

esse translatam. 21, 16.17 : Quid nunc ad Ecclesiam, et quidem tuam, psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet : aut apostolo aut prophetae. Nam et ipsa Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis, qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore et consecratore censetur. Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit, sed Ecclesia Spiritus, per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum. Domini enim, non famuli, est ius et arbitrium: Dei ipsius, non sacerdotis. » — 22. Ne quicquam supersit ex doctrina catholica, post potestatem clavium impugnat etiam intercessionem martyrum, cui aliquid in administratione paenitentiae libenter concedebat Ecclesia. Addit tribui non posse veniam impudico, quin pari, immo potiori, iure tribuatur idololatrae et homicidae : digniorem enim misericordia qui tormentis victus sit quam qui libidine.

In libello *De pudicitia*, duae res emergunt, quae neque apud Hermam neque apud Tertullianum *De paenitentia* vidimus : 1. dogma de peccatis irremissibilibus per ministerium Ecclesiae; 2. dogma de remissione a Deo solo facta sine ministerio Ecclesiae. De utroque dogmate montanistico breviter dicendum.

1. Peccata irremissibilia asseruntur praesertim tria : idololatria, homicidium, impudicitia. Id confirmatur ex Decalogo (*Pud.*, 5); ex maiore sanctitate NL (6); ex parabola de filio prodigo (9); ex decreto apostolico (12); ex 1ª Ioannis epistula (19); ex paritate causae inter illa tria peccata. Argumentatio autem Tertulliani nec gravitate commendatur nec probitate. Nullam traditionem antiquam appellat; immo adversario exprobrat idem quod etiam *Ieiun.*, 17 : « Vetus es, vera si volumus dicere. » Ipse sibi aperte contradicit, dum diligenter evertit quae, *Paen.*, 8 et alibi, statuerat. In tractanda Sacra Scriptura, nec fidei codicum nec maiorum auctoritati consulit. Adversariorum rationes refellendo pervertit. *EC.*, 197-208.

2. Remissionis quae fiat a solo Deo meminit T., 3, 3-6; 18, 18; 19, 6; 21, 1.2.7.16,17; 22, 4. Remissionis autem factae per ministerium Ecclesiae, secundum doctrinam catholicam,

mentio est frequens et multiplex; praesertim per verba : *absolvere,* 13, 4; 14, 27: 21, 12; 22, 6; *restituere,* 6, 8; 7, 1.3.12.13.17; 8, 9: 9, 19.21; 15, 6; 19, 6; 20, 1; *reconciliare,* 8, 4: 16, 17; *indulgere,* 1, 16.18.19; 6, 8.11.12.18; 12,7; 13,8; 14, 25; 16, 14.23; 21, 3.6.15: *pax,* 1, 21; 2, 4; 3, 3.4.5; 12, 11: 15, 2: 16, 17; 22, 2.11. — E tam multis exemplis, hoc proferemus in quo restitutio vocationi opponitur, tanquam Baptismo Paenitentia. 9, 19 : « Iudaeus ad primam statim vocationem Christiani gemit, non ad secundam restitutionem : illa enim etiam ethnicis relucet, haec vero, quae in ecclesiis agitur, ne Iudaeis quidem nota est. » Et haec, ubi pax ecclesiastica nominatim designatur, 15, 2 : « incesto fornicatori postliminium largitus ecclesiasticae pacis »; 22, 11 : « quaecumque ratio moecho et fornicatori pacem ecclesiasticam reddit ». Ex his illustrantur quae quindecim ante annis scripserat T., libello *De Paenitentia :* quam enim insectatur in *Pud.*, eandem pacem ecclesiasticam in *Paen.* commendaverat, tanquam omni vere paenitenti paratam.

Relinquitur ut remissio a solo Deo facta, non secus ac peccata irremissibilia per Ecclesiam, sit genuinus foetus haeresis montanisticae.

Hippolytus (circa 230). *EC.,* p. 217-227.

Eodem fere tempore quo Tertullianus psychicos reprehendit in libello *De Pudicitia,* Romae schisma fecit Hippolytus presbyter. Is ante mortem in Ecclesiam se recepit; sed Callisti Pontificis Romani iam mortui famam dilaceraverat libro qui inscribitur Κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἔλεγχος, vulgo *Philosophumena.* Ibi legitur, L. 9, c. 12 (ed. Cruice, Paris, 1860, p. 443; *PG.,* 17, 3386 B) : Τοιαῦτα ὁ γόης τολμήσας συνεστήσατο διδασκαλεῖον κατὰ τῆς ἐκκλησίας, οὕτως διδάξας, καὶ πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε, λέγων πᾶσιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφιέσθαι ἁμαρτίας. *EC.,* p. 217-218. Hoc testimonium historicum partim consentit cum verbis Tertulliani, *Pud.,* partim dissentit. Nam Tertullianus laudi sibi vertit novitatem, Hippolytus Callisto novitatem exprobrat. Sane diversae indolis fuerunt Tertullianus et Hippolytus. Eundem Pontificem Callistum ab utroque reprehensum esse veri simile est, cf. sup., p. 26; non tamen certum. Ipse certe Hippolytus Callisti indulgentiam in reconciliandis peccatoribus severe notavit. Pro gravissimis autem habuit tria peccata impudicitiae, homicidii et idololatriae, ut

apparet ex fragm. *in Prov.*, 30, 15 (LXX, 24, 50, ed. Achelis, p. 163, 19 : Τῇ βδέλλῃ τῇ ἁμαρτίᾳ θυγατέρες πορνεία φόνος εἰδωλολατρεία. Καὶ οὐκ ἐνεπίμπλασαν αὐτήν.

Callistus. P. R. 217-222? *EC.*, p. 228-251 *DA.*, 1778-9.

Quanquam ille Pontifex nihil scriptum reliquit, quam rationem servaverit in administratione paenitentiae aliquo modo assequi possumus, collatis Tertulliani et Hippolyti testimoniis. Uterque testatur Ecclesiam Romanam sua aetate usam esse aliqua indulgentia erga reos graviorum peccatorum, nominatim impudicitiae. Uterque testatur pro gravissimis habita esse tria peccata idololatriae, homicidii, impudicitiae. Tertullianus autem asseverat hoc factum esse ex vetere et culpabili disciplina, quam inde a temporibus Hermae Ecclesia Romana servaverit. Hippolytus asseverat aliquid innovatum esse. Utri potius credendum?

1. Tertullianus, *Pud.*, 1, 6, probe testatur remissionem peccatorum promissam esse duntaxat « paenitentia functis », neque credibile est aliter concessam esse. Hippolytus id silentio praetermisit, quo maiorem Callisto invidiam crearet.

2. Tertullianus videtur pro certo assumere Pontificem absoluturum non esse idololatras et homicidas. *Pud.*, 5, 15 et passim. Hippolytus ait absolutos esse homines cuiuslibet generis, ac nominatim eiectos a sectis alienis (fortasse etiam non christianis?); etiam feminas stupro et infanticidio inquinatas. Addit temporibus Callisti primum attemptatum a sectatoribus eius secundum Baptisma. Res obscura est. Sane nemo crediderit viguisse tum in Ecclesia Romana consuetudinem rebaptizandi haereticos; nam omnino obstat notissimum responsum Stephani P. R. datum fere triginta post annis (apud Cyprianum, *Ep.*, 74, 1). Nihil verisimilius quam illo nomine appellari secundam paenitentiam, quae fuerit instar alterius Baptismi: ut multi coniecerunt, cf. *EC.*, p. 225.6.

3. In iudicio ferendo, ratio videtur habenda esse indolis utriusque scripti propriae. Sane uterque scriptor plurimum mentitus est. Attamen Hippolytus non potuit tam audacter mentiri Romae et in scripto historico quam Tertullianus Carthagine et in libello polemico. Unde potius Hippolyto credendum videtur, cum negat ullum peccati genus a venia esse exclusum. Sane ex eius dictis colligi potest alienam a

Callisto fuisse illam trium peccatorum reservationem quam Tertullianus fidenter assumebat. Unde igitur T. illam assumpsit? Profecto, non ex traditione romana; nam Romae, saec. II°, libellus Hermae, quamvis fortasse non aeque apud omnes receptus, erat alicuius auctoritatis. Ceterum ipse fatetur Hermam psychicis, non sibi favere (10, 12; 20, 2). Appellat autem traditionem quarundam Ecclesiarum, 12, 11 : « Hinc est quod neque idololatriae neque sanguini pax ab Ecclesiis redditur. » Quae fuerint illae Ecclesiae, nescimus: sed quasdam fuisse facile credimus, praesertim cum triginta post annis in Africa S. Cyprianus testetur fuisse paulo ante in Africa episcopos qui impudicitiae omnem veniam denegarent. *Ep.*, 55, 21, p. 638, 23 : « Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istic in provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum paenitentiae locum contra adulteria cluserunt. Non tamen a coepiscoporum suorum collegio secesserunt aut catholicae Ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt, ut, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. »

4. Omnibus perpensis, nihil verisimilius quam usque ad tempora Tertulliani et Hippolyti fuisse aliquam diversitatem inter Ecclesias in administratione paenitentiae, etiam quod attinet ad reservationem trium gravissimorum peccatorum, et in ipsa Ecclesia Romana disciplinam fluctuasse, donec a Callisto aliquid accepit firmitatis. Viguisse autem antiquitus in tota Ecclesia ex lege universali reservationem trium peccatorum et a Callisto primum infractam esse illam legem, sine causa, immo contra omnem veri speciem assereretur. Vide *EC.*, p. 238-240, nomina historicorum qui in eandem sententiam, quam tuemur, inclinarunt. E catholicis, Esser, Stufler, Lebreton, Monceaux, Diekamp, Bardenhewer, Adam, Atzberger. E protestantibus, Preuschen, Hauck, Bethune-Baker, Loofs, Seeberg.

De auctore « edicti peremptorii » quod Tertullianus reprehendit. cf. quae scripsimus in *RSR.*, 1920, p. 254-6 : « *Zéphyrin, Calliste* ou *Agrippinus*? » — Nuper etiam, Agrippini Carthaginensis edictum esse contendit G. Bardy, *Rev. des Sc. Relig.*, Strasbourg, 1924.

Origenes (+ 254?). *EC.*, p. 252-296. *DA.*, 1780-2.

Origenes, non secus ac Tertullianus et Hippolytus, aliquando appellatur testis disciplinae in Ecclesia olim severae, saec. demum III^e^ ad indulgentiam inclinatae; et ipse perhibetur tribus peccatis idololatriae, homicidio, impudicitiae omnem indulgentiam denegasse iunior, senior concessisse. Addunt magnas Ecclesias conspirasse in unum ut Romani Pontificis indulgentiam reprobarent : Romanam cum Hippolyto, Carthaginensem cum Tertulliano, Alexandrinam cum Origene. Systema condidit I. Doellinger, *Hippolytus und Kallistus*, p. 254-266. Regensburg, 1853. Secuti sunt multi, cum protestantes tum catholici, non sine aliqua diversitate : nam protestantes facile admittunt Ecclesiam cum Origene nescivisse quid iuris esset in remissione peccatorum, et illud ius saec. III^e^ condidisse; catholici magis meminerunt fundamenti a Christo positi, et aliquam duntaxat evolutionem admittunt, ad distinctiorem iuris a Christo conditi expressionem. E Protestantibus, cf. Harnack, *LBDG*[4], t. 1, p. 439-444; C. Bigg, *The Christian Platonists of Alexandria*, p. 217 sq., Oxford, 1886. *EC.*, p. 254 sqq.

Fundamentum systematis praecipuum locus difficilis Origenis, *De Or.*, 28, 8-10, *PG.*, 11, 528-9; praeterea, *In Mt., ser.* 114, *PG.*, 13, 1763, de negatione Petri; *In Io., L.* 18, 13, *PG.*, 14, 713 A, ed. Preuschen 15, p. 408, de blasphemia Spiritus. Locum praecipuum gallice subiciemus.

De Oratione, 28, *PG.*, 11, 528.529, ed. Koetschau, p. 380, 8-381, 18.

Celui qui est inspiré par Jésus comme les Apôtres, et qu'on peut reconnaître à ses fruits, parce que, ayant reçu l'Esprit-Saint et devenu spirituel, il obéit à l'impulsion de l'Esprit, comme un fils de Dieu, pour se conduire en tout selon la raison, celui-là remet ce que Dieu remet et retient les péchés inguérissables : comme les prophètes employaient leur parole au service de Dieu pour exprimer, non leurs propres pensées, mais les pensées suggérées par la volonté divine, de même il s'emploie au service de Dieu, à qui seul il appartient de remettre les péchés. L'évangile selon saint Jean s'exprime ainsi, au sujet de la rémission des péchés par les Apôtres (*Io.*, xx, 22-23) : *Recevez l'Esprit-Saint : ceux à qui vous remettrez les péchés, ils leur sont remis; ceux à qui vous les retiendrez, ils leur sont retenus.* A prendre ces mots sans discernement, on pourrait être tenté de reprocher aux Apôtres de n'avoir pas remis les péchés à tous, afin qu'ils leur fussent remis, mais de

les avoir retenus à quelques-uns, afin qu'ils leur fussent également retenus par Dieu. Mais la Loi nous fournit un exemple utile pour comprendre la rémission des péchés accordée aux hommes par Dieu au moyen du ministère des hommes. Les prêtres de la Loi ont défense d'offrir un sacrifice pour certains péchés afin qu'ils soient remis à ceux pour qui l'on offrirait le sacrifice. Et le prêtre autorisé à faire l'offrande pour certains manquements involontaires, n'est pas pour cela autorisé à offrir l'holocauste pour l'adultère, pour l'homicide volontaire, et pour toute sorte de faute grave ou de peche. Ainsi les Apôtres et les successeurs des Apôtres, prêtres selon le Grand Prêtre (Jésus-Christ), ayant reçu la science de la thérapeutique divine, savent, instruits par l'Esprit, pour quels péchés il faut offrir des sacrifices et quand et de quelle manière; ils savent également pour quels péchés il ne le faut pas. Le prêtre Héli, sachant que ses fils Ophni et Phinées ont péché, se reconnaît impuissant à leur en procurer le pardon; il y renonce et en fait l'aveu, disant (*I Sam.*, 2, 25) : *Si un homme pèche contre un homme, on intercédera pour lui; mais s'il pèche contre Dieu, qui intercédera pour lui?*

Je ne sais comment quelques-uns, s'arrogeant une puissance plus que sacerdotale, encore qu'ils manquent peut-être de science sacerdotale, se vantent de pouvoir remettre les péchés d'idolâtrie, d'adultère et de fornication, comme si la prière qu'ils prononcent sur les coupables suffisait à remettre même le péché mortel. C'est qu'ils ne lisent pas ce qui est écrit : *Il y a une faute jusqu'à la mort; pour celle-là je ne dis pas de prier* (*I Jo.*, 5, 16)...

Legenti manifestum fit haec verba, si sola sumantur, vehementer suadere Origenem negasse remitti posse a sacerdote peccata idololatriae, adulterii et fornicationis. Sed ut in omni scriptore, ita et multo magis in Origene expedit non in uno aliquo dicto haerere, sed omnia circumspicere, habita ratione rerum ac temporum. Ac primo quidem attendenda chronologia scriptorum Origenis; quod diligenter fecimus, *EC.*, p. 258-260. Unum statim animadvertendum : scriptum esse librum *De Oratione* ann. 232/235, sedente non Callisto, qui anno 222 obierat, sed altero eius successore Pontiano (230-235). Ergo locus allatus non spectat ad edictum Callisti. Ad assequendam autem mentem Origenis, faciunt quae ex toto opere eius locis permultis confirmantur :

1. Solet Origenes docere vocari a Deo ad paenitentiam omnes, proposita spe veniae. *In Lev., H.*, 2, 4; *PG.*, 12,

417 B-419 C; *H.*, 9, 8, 520 B-521 A; *In Ps.*, 36, *H.*, 1, 5, *PG.*, 12, 1328 A B; *H.*, 2, 1, 1330 D; *In Cant.*, *L.* 2, *PG.*, 13, 108 C D; *In Ier.*, *fr.* 37 ed. Klostermann, p. 217; *In Ier.*, *H.*, 21, 12, *PG.*, 13, 541 A B; *In Ap.*, *Schol.* 17, ed. Diobouniotis-Harnack, p. 28; *C. Celsum*, 3, 71, *PG.*, 11, 1013 B, ed. Koetschau, p. 263, 11-15.

2. Solet Origenes docere omnem paenitentiae administrationem positam esse a Deo penes Ecclesiam. *In Num.*, *H.*, 10, 1, *PG.*, 12, 637 B-638 A; *In Ps.*, 37, *H.*, 1, 1, *PG.*, 12, 1369 C-1372 C; *In Lev.*, *H.*, 8, 10, *PG.*, 12, 502 B; *In Iud.*, *H.*, 2, 5, *PG.*, 12, 961; *In Ier.*, *fr.* 48 Klostermann, p. 222; *In Ez.*, *H.*, 10, 1, *PG.*, 13, 740 D-741 A; *In Lev.*, *H.*, 3, 4, *PG.*, 12, 429 A C; *In Ps.*, 37, *H.*, 2, 1, *PG.*, 12, 1381 A-1382; *In Io.*, *L.* 28, 5, *PG.*, 14, 693 A, ed. Preuschen, 6, p. 396, 33-34; *L.* 28, 6, *PG.*, 14, 693 C-696 A, Preuschen 7, p. 397; *fr.* 79 Preuschen, p. 546.

3. Solet Origenes docere nullum genus peccati neque ullam inveteratam malitiam excludere hominem a misericordia Dei et venia Ecclesiae. *In Ex.*, *H.*, 6, 6, *PG.*, 12, 335 C-336 A; ib., 9, 338 A D; *In Ps.*, 37, *H.*, 1, 1, *PG.*, 12, 1370-1371 A; *In Ez.*, *H.*, 3, 8, *PG.*, 13, 694 C-695 A; *In Ier.*, *H.*, 19, 9, *PG.*, 13, 521, ed. Klostermann, 20, 9, p. 191-192; *In Ps.*, 37, *H.*, 1, *PG.*, 12, 1372 A C; *In Ioan.*, *L.* 28, 6, *PG.*, 14, 696, Preuschen 7, p. 397-398; *C. Celsum*, 3, 51, *PG.*, 11, 928, Koetschau, p. 247, 20-248, 5.

4. Solet Origenes docere, si qua peccata difficilius remittantur, id non inopiae Ecclesiae imputandum, sed ipsius peccatoris malitiae : maiore enim et difficiliore satisfactione opus esse, ac validiore intercessione. — *a*) maiore satisfactione, *In Io.*, *L.* 28, 13, *PG.*, 14, 713 A, Preuschen 15, p. 408; *In Io.*, *L.* 2, 6, *PG.*, 14, 129, Preuschen, 11, p. 66; *fragm. ap. Athanasium*, *Ep.*, *4 Ad Serapion.*, 10, *PG.*, 26, 649 C-652 A; *In Ier.*, *H.*, 15, 5, *PG*, 13, 444 D-445, Klostermann, p. 137. — *b*) validiore intercessione, *In Ios.*, *H.*, 7, 6, *PG.*, 12, 681 A B; *In Ps.*, 37, *H.*, 2, 6, *PG.*, 12, 1386; *In Lc.*, *H.*, 17, *PG.*, 13, 1846 A; *In Mt.*, *T.* 13, 30, *PG.*, 13, 1173-7; *In Ez.*, *H.*, 3, 8, *PG.*, 13, 694 C-695 A; *De Orat.*, 14, 2, 6, *PG.*, 11, 460 B; 464 C, Koetschau, p. 330, 15; 333, 14-16.

Haec, cum pertineant ad omnem aetatem Origenis, non possunt leviter dimitti, tanquam a proposito aliena, sed subsi-

dium interpretationis non spernendum praebent. Praesertim cum inveniatur Origenes prorsus eadem docuisse in illis libris qui tempore proximi sunt libro *De Oratione*, i. e. in libro *Periarchon*, quem primum omnium scripsit, ante annum 230, et in *Exhortatione ad Martyrium*, quam scripsit anno 235. Lege *Periarchon*, 3, 1. 12. 16. 20-22. *PG.*, 11, 273. 284. 293-302. Koetschau 13. 17. 21-24. pp. 217, 4-218. 11; 225. 14-226. 4; 225-244. Hi libri cum non diversam contineant doctrinam ab illa quae legitur in libris exegeticis scriptis per totam vitam Origenis et in libris *Contra Celsum*, scriptis ann. 246/8, omnino deserenda est coniectura secundum quam fingitur Origenes, progressu temporis edoctus, ad sententiam de paenitentiae administratione benigniorem paulatim devenisse. Quod si eiusmodi mutatio accidit (nam potuit accidere), ex universo illius opere minime colligitur. Neque colligitur ex testimoniis clarorum discipulorum eius, Dionysii Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, Firmiliani, de quibus infra. Unde tandem concludimus non tantam esse firmitatem interpretationis post Doellinger saepe datae illi unico loco Origenis, ut totius systematis molem sustineat.

Controversia de Lapsis in persecutione Decii (ann. 250/1 et sqq.) *EC.*, p. 297-349; cf. praeterea nostram *Théologie de S. Cyprien*, p. 272-302 (1922); *Novatien*, c. 4, p. 138-169 (1925).

Lapsorum nomine hic intelleguntur qui in persecutione scelus apostasiae aut idololatriae admiserunt, sive sacrificando idolis (*sacrificati*), sive simulando (*libellatici*). Non nulli volunt ea demum tempestate initium reconciliandi apostatas factum : antea enim peccatum idololatriae habitum esse ut irremissibile ab Ecclesia. Quod quidem censemus nimium systematice cogitari neque efficaciter probari. Tribus capitibus illam materiam comprehendemus : 1° Res gestae Sede apostolica vacante post mortem Fabiani P. R. (20 ian. 249-mart. 251); 2° Res gestae sedente Cornelio P. R. (mart. 251-ian. 253) et postea, in partibus Occidentis; 3° Res iisdem temporibus gestae in partibus Orientis.

1° *Res gestae Sede apostolica vacante* (20 ian. 249-mart. 251).

Huc spectant praesertim epistulae cyprianicae 8-43, in quibus inveniuntur non nullae a clero romano scriptae (8.30.31. 36). Prima mentio controversiae in litteris a clero romano ad

clerum carthaginensem scriptis, *Ep.*, 8; ubi inter alia legitur, 3, p. 487, 14-20 : « Videtis, Fratres, quoniam et vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt, hortatu vestro corrigentes animos eorum, si apprehensi fuerint iterato confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere; et alia quae incumbunt vobis, quae etiam et ipsa subdidimus, ut si hi qui in hanc temptationem inciderunt coeperint apprehendi infirmitate et agant paenitentiam facti sui et desiderent communionem, utique subveniri eis debet... » Iisdem temporibus Carthagine nonnulli confessores fidei iactabant inepte suam confessionem et pacem Ecclesiae lapsis quasi iure suo vindicabant —, non sine iniuria episcopi. Cf. *Epp.*, 11, 1, p. 496, 11-18; 15, 1, p. 514, 4-13; 2, p. 514, 16-22; 4, p. 516, 2-13; 16, 2, p. 518, 3-519, 5; 21.22.23. Contra Cyprianus assidue monet singulorum causas examinandas, exspectandum iudicium episcoporum, *Ep.*, 17, 1, p. 521, 10-522, 2, etc... Ceterum et ipse auctor est ut laborantibus morbo subveniatur eo modo quo id faciendum censuerat clerus romanus : *Ep.*, 18, 1, p. 523, 19-524, 8 : « Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem, vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in paenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. » Iterum *Ep.*, 19. Ubi manifestum fit Cyprianum et intercessioni martyrum plurimum tribuere, et illam intra certos limites cohiberi velle, ut salvum sit ius episcopi. — A clero romano venerunt ad Cyprianum binae litterae. *Epp.*, 30 et 31. *Ep.*, 30 (a Novatiano scripta, ut constat ex *Ep.*, 55, 5, p. 627, 7), laudatur ipsius Cypriani vigor, commendatur antiqua severitas Ecclesiae Romanae, erga lapsos temperamentum et mora suadetur, donec ab episcopis aliquid communi consilio statutum sit. 8, p. 555, 22-56, 17 : « Cuius temperamenti moderamen nos hic tenere quaerentes, diu et quidem multi et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor deiecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum pu-

tavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus, ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere causa teneatur, eorum autem quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta paenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrimis, si gemitibus, si fletibus dolentes ac vere paenitentes animi signa prodiderunt, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat et qualiter iudicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere paenitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem... » *Ep.*, 31 (a confessoribus romanis scripta), reprobatur carthaginensium confessorum arrogantia. Iterum *Ep.*, 36 (a Novatiano scripta), reprehenditur, 1, p. 573, arrogantia « praerogativam communionis » temere sibi vindicantium. — His litteris et aliis inter se collatis, constat duas tum fuisse hominum sententias de lapsorum reconciliatione : unam laxiorem, quae fuit confessorum carthaginensium, reconciliandos esse lapsos promiscue et sine mora ; alteram communem Ecclesiae romanae et carthaginensis : reconciliandos esse in mortis periculo, praesertim si suffragiis confessorum commendarentur ; de ceteris, expectandum quid communi consilio statuerent episcopi. Nullum autem vestigium sententiae durioris, reconciliationem lapsis omnibus praefracte negantis.

Obiectum est aliquando quod apud Cyprianum legitur, *Test. ad Quir.*, 3. 28, p. 142, 6.7 : « Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit », adductis auctoritatibus *Mt.*, 12, 32 ; *Mc.*, 3, 28.29 ; *1 Sam.*, 2, 25. Verum, spectata interpretatione ipsius Cypriani, hic locus non significat idololatriam esse eiusmodi peccatum quod nullatenus remitti possit in Ecclesia. Cf. *Ad Fortun. de exhort. martyrii*, 4, p. 325, 5-7 (interpr. *1 Sam.*, 2, 25) ; *Ep.*, 16, 2 (interpr. *Mc.*, 3, 28-29) ; *De Laps.*, 17, p. 249, 18-22 : « Veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit... Homo Deo maior non potest esse, nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest quod in Dominum delicto graviore commissum est. » Unde nihil aliud sequitur, nisi hominem non posse condonare eiusmodi delicta *indulgentia sua*, sed

tantummodo auctoritate a Deo accepta. *Ibid.*, 29, p. 258, 19-20 : 36, p. 263, 13-15 ; 24-27 ; ubi condicio remissionis assignatur : « Si precem toto corde quis faciat, si veris paenitentiae lamentis et lacrimis ingemescat... potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere, paenitenti, operanti, roganti potest ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes. » Praeterea, *Ep.*, 55, 27, p. 645, 9, ubi declaratur ratio peccati in Deum, et extenditur ultra ipsum crimen idololatriae : « Quisque adulterio templum Dei violat, Deum violat. » Porro constat Cyprianum non praeclusisse omnem veniam adulterio : *Ep.*, 55, 21. Tandem prae oculis habenda proprietas verbi latini *remissio*, quod, non secus ac graecum ἄφεσις, significat veniam non quocumque modo concessam, sed plenam liberationem a culpa et a poena, qualis habetur in Baptismo. *Théologie de S. Cyprien*, p. 283-287, coll. 233-4. — Vera Cypriani sententia cum cleri romani sententia concordat, *Ep.*, 20, 3, p. 528, 23-529, 1 : « Cum videretur et honor martyribus habendus et eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, et praeterea scripta vestra legissem (*Ep.*, 8[1]..., standum putavi et cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. »

2° *Res gestae sedente Cornelio P. R.* mart. 251-iun. 253 *et postea, in partibus Occidentis.*

Huc spectant epistulae Cornelii ad Cyprianum, inter cyprianicas 49.50 : eiusdem epistula ad Fabium Antiochenum, apud Eusebium, *HE.*, 6, 43 ; Cypriani epistulae, praesertim ad Cornelium, 44.45.47.48.51.52.57.59.60 ; ad Antonianum, episcopum in Numidia, 55 ; eiusdem libelli *De Lapsis* et *De catholicae Ecclesiae unitate.*

Iam incipit fieri id quod ante electionem Cornelii parabatur : collatis consiliis episcoporum, reconciliantur lapsi, non promiscue, sed examinatis singulorum causis. Et primo quidem reconciliantur libellatici, sacrificati differuntur. Postea, imminente persecutione, his quoque subvenitur. Non constat id praeter morem et sine exemplo esse factum. Novatianus autem in hoc maxime perfidiae reus invenitur quod, ut suum schisma confirmet, Novatum presbyterum Carthaginensem et alios, in Africa schismati Felicissimi addictos, in suam communionem recipit : quanquam illi plenissimam et promiscuam indulgen-

tiam lapsis tribuebant. Novatianus contra severitatis erga lapsos obtentu ab Ecclesia defecerat. Adeo mentita est iniquitas sibi.

Cyprianus Cornelio aperit quomodo et Ecclesiae unitati et saluti errantium consulendum censeat, *Ep.*, 45, 3, p. 602, 17-603, 3 : « Hoc enim vel maxime... laborare debemus ut unitatem a Domino et per Apostolos nobis successoribus traditam quantum possumus obtinere curemus, et, quod in nobis est, balabundas et errantes oves, quas quorundam pervicax factio et haeretica temptatio a matre secernit, in Ecclesia colligamus, illis solis foris remanentibus qui obstinatione sua vel furore supersederunt et ad nos redire noluerunt, discretionis et separationis a se factae et Ecclesiae derelictae ipsi rationem Domino reddituri. » Romanis a schismate reversis gratulatur, monendo necesse esse in agro Domini inveniri zizania, *Ep.*, 54, 3, p. 622, 15-623, 15. Lapsis condicionem pacis cum Deo proponit, *Laps.*, 17.18, p. 249, 17-250, 22 : « Nemo se fallat, nemo decipiat. Solus Dominus misereri potest... Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne iudicium de Patre solus accepit... Mandant aliquid martyres fieri : si scripta non sunt in Domini lege quae mandant, ante est ut sciamus illos de Domino impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant : neque enim statim videri potest divina maiestate concessum quod fuerit humana pollicitatione promissum. » Addit Deum non de factis tantum, sed etiam de dictis et cogitatis iudicaturum, *Laps.*, 27.28, p. 256, 23-258, 16. Verae paenitentiae, praesto esse Dei veniam, 36, p. 263, 13-27. Iterum in *Ep. ad Antonianum* totam paenitentiae rationem persequitur, *Ep.*, 55, 7, p. 628, 7-17; ostendit se nihil egisse quod non postularet salus multorum ; pariter inculpabilem Cornelium, 8, p. 629 sqq., etiam in causa Trofimi presbyteri, qui, ut multos secum profugos reduceret in Ecclesiam, receptus est ad laicam duntaxat communionem, 11, p. 631, 17-632-8; sacrificatis in necessitate subventum, 13, p. 632, 16-633, 1; erga libellaticos opus esse non modo misericordia, sed etiam discretione, cum causae eorum diversae sint, 17, p. 636, 6-12. Decipi posse hominem paenitentiae arbitrum, non autem Deum, 18, p. 636, 13-19. Qui morte imminente reconciliationem petierunt, exclusos tanquam falsos paenitentes, 23, p. 641, 19-642, 2. Neminem interim a paenitentia prohibendum, 29, p. 647, 7-16. Concilium

Carthagine habitum A. D. 252 scripsit ad Cornelium P. R., imminente altera persecutione visum esse oportere etiam sacrificatos vere paenitentes reconciliari, ut ad proelium armarentur. *Ep.*, 57, 1, p. 650, 16-651, 16 : « Statueramus quidem pridem... participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu paenitentiam plenam, et, si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas et divina clementia Ecclesiam pulsantibus cludi et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse et legem dederit ut ligata in terris et in caelis ligata essent, solvi autem possint illic quae hic prius in Ecclesia solverentur. Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare coepisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur ut ad certamen, quod nobis hostis indicit, armati et parati simus, plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, et omnes omnino milites Christi qui arma desiderant et proelium flagitant, intra castra dominica colligamus : necessitate cogente censuimus eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt et paenitentiam agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse et eos ad proelium quod imminet armari oportere. » *Ep.*, 59, 17, *ad Cornelium*, Cyprianus notat impudentiam quorundam e factione Felicissimi. Ecclesiae pacem non precibus sed minis extorquere volentium. *Ep.*, 60, gratulatur Ecclesiae Romanae gloriosam confessionem ; dolet Novatiani pervicaciam. *Ep.*, 64, cum collegis LXVI, reprehendit Therapium episcopum quod, contra commune decretum, Victorem presbyterum immaturo tempore reconciliaverit. *Ep.*, 65, cavet ne Fortunatianus Assurarum episcopus, in persecutione lapsus, sedi suae restituatur. *Ep.*, 66, *ad Florentium Puppianum*, de se inique iudicantem, rationem suam agendi erga lapsos defendit. *Ep.*, 67, cum collegis obstat ne Basilides et Martialis episcopi Hispani, in persecutione lapsi, sedibus suis restituantur. *Ep.*, 68, apud Stephanum P. R. agit ut Marcianus Arelatensis, Novatiano addictus et in plebem suam immisericors, eiciatur.

Si summa res spectetur, nullum apparet vestigium repentinae mutationis tum factae in administratione paenitentiae. Non sine causa scripsit Cyprianus ad Antonianum de Cornelio et causa Trofimi. *Ep.*, 55, 11, p. 631, 17-632, 8 : « De Trofimo... non ita res est ut ad te pertulit rumor et mendacium malignorum. Nam, sicut et antecessores nostri saepe fecerunt, colligendis fratribus nostris carissimus frater noster necessitate succubuit. Et quoniam cum Trofimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trofimo et satisfaciente et paenitentia deprecationis errorem pristinum confitente et fraternitatem quam nuper abstraxerat cum plena humilitate et satisfactione revocante, auditae sunt eius preces, et in Ecclesiam Domini non tam Trofimus quam maximus fratrum numerus, qui cum Trofimo fuerat, admissus est, qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trofimo comitante venissent... » Confirmatur ex Pseudo-Cypriano *Ad Novatianum* (? Sixto II, P. R., 257-258; cf. volumen nostrum *de Novatiano*, p. 26-30, ed. Hartel, p. 52-69. Ibi legitur, 13, p. 63, 6-13 : « Unde igitur tam sceleratus, tam perditus, tam discordiae furore vesanus exstiterit iste Novatianus, invenire non possum, qui semper in domo una, i. e. Christi Ecclesia, proximorum delicta ut propria fleverit, onera fratrum, sicut Apostolus hortatur, sustinuerit, lubricos in fide caelesti adlocutione corroboraverit; at nunc, ex quo Cainam illam haeresim, quae non nisi tantum occidere gestit, exercere coepit, nec sibi novissime parcit. » 14, p. 64, 1-11 : « O te impium scelestumque, haeretice Novatiane, qui post tot et tanta in Ecclesia a quibusdam retro voluntarie commissa crimina, quae et tu ipse in domo Dei priusquam apostata esses cognoveras, et haec posse aboleri de memoria succedente bono utique docueras, secundum fidem Scripturae (*Ez.*, 18, 21).., tu hodie retractas an debeant lapsorum curari vulnera qui nudati a diabolo ceciderunt. »

3° *Res gestae in partibus Orientis. EC.*, p. 344-9.

Huc spectant maxime epistula Firmiliani Caesarensis (*inter cyprianicas* 75), scripta anno 256, et epistulae Dionysii Alexandrini (apud Eusebium, *HE.*, 6, 39-7, 8. *PG.*, 20).

Firmilianus, Caesareae in Cappadocia episcopus, consuetudinem Ecclesiarum orientalium testatur, cum scribit ad Cyprianum, *Ep.*, 75, 5, p. 812, 21-29 : « Necessario apud nos fit,

ut per singulos annos seniores et praepositi in unum conveniamus ad disponenda ea quae curae nostrae commissa sunt, ut, si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per paenitentiam medella quaeratur... »

Dionysius, episcopus Alexandrinus (246-265), in litteris ad Fabium Antiochenum scriptis, agit de ipsa persecutione, de multorum lapsu, apud Euseb., *HE.*, 6, 41; de confessorum intercessione, ib., 42; de quibusdam imminente morte reconciliatis, 44, 2-6 senex Serapion. Idem Novatiani pervicaciam flectere conatus est, ib., 45. Scripsit praeterea ad Ecclesiam Aegypti *de lapsis*, 46. Novatianum scriptis ad Cornelium P.R. litteris reprehendit, ib., 7, 8. — Cf. eiusdem fragmentum ed. a Mai, *PG.*, 10, 1601-2.

Circa idem tempus, Gregorius Thaumaturgus, Neocaesareae Ponti episcopus, ordinem paenitentiae publicae exponebat in *epistula canonica*, *PG.*, 10, 1019-1048. Idololatriae et fornicationis meminit, can. 1; homicidii, can. 7. De feminis in servitutem abductis et inter barbaros violatis, nihil amplius dicit quam eas non facile ad communionem admittendas, si iam ante captivitatem suspectae vitae fuerint, can. 1, 1020-1. De homicidis, expectandum iudicium episcoporum, can., 7, 1040, interim ab auditione excludendos. Can. 11 et ultimo, distinguit varias stationes paenitentium : πρόσκλαυσις, extra ianuas; ἀκρόασις, in vestibulo cum catechumenis; σύστασις, inter fideles, tamen sine communione eucharistica; τελευταῖον. Sed hic canon communiter reicitur ut additicius. Funk, *KGAU*, t. 1, p. 182-4].

A TEMPORIBUS CYPRIANI USQUE AD CONCILIUM NICAENUM (258-325). *EC.*, 350-395.

Quanquam novatiana durities quibusdam locis perseverat per duo fere saecula, immo exoriente schismate Donati saec. IV recrudescit, inexorabilis severitas magis ac magis eliminatur ex Ecclesia.

Disciplinae in partibus Orientis vigentis insigne monumentum *Didascalia Apostolorum*, quam e syriaco sermone gallice expressit F. Nau, Paris, 1902 et iterum 1912. Lege c. 6, p. 49 sqq., 7, p. 59 sqq., 10, p. 94 sqq.; 11, p. 140 sqq. *EC.*, p. 360-364. — Accedit *canon apostolicus* 52, ed. Funk, Paderborn, 1905.

Petrus Alexandrinus † martyr, 311, *Epistula canonica* data circa ann. 306, condicionem paenitendi lapsis praefinit, diversam pro diverso gradu apostasiae. *PG.*, 18, 467-508, *EC.*, 363-7.

Methodius, Olympi episcopus † martyr. 311., durior prima fronte videri potest. Sed ille, oratorie agens, audiendus est ut orator, in perterrefaciendos animos peccatorum et eradicanda vitia intentus. Hinc adimit omnem spem salutis peccanti. *De Resurr.*, 2, 5, ed. Bonwetsch. Leipzig, 1917, p. 337, 20 sqq. In laudes virginitatis mire effunditur, *Conviv. X virg.*, *PG.*, 18, 27-220, Bonwetsch, p. 1-141, et peccati vulnera ad vivum aperit, *De lepra*, 10, Bonwetsch, p. 463,23-464,20; origenisticum commentum de salute quam plurimis parata tanquam perniciem animarum detestatur, *Resurr.*, 1, 11, Bonwetsch, p. 234. Sed idem plane scit omnem culpam paenitentia deleri posse, *Adv. Porphyr. fragm.*, *PG.*, 345 A, Bonwetsch, 507, 8-12. Ipse consulit saluti hominum ac paenitentes cito reconciliat. *De lepra*, 7, 4-7, Bonwetsch, p. 459, 24-461,8, ne ignis aeterni praeda fiant. *ib.*, 10, 3, p. 464, 13.14.

Conc. Ancyranum, in Galatia habitum A. D. 314 (*EC.*, p. 367-8. Mansi, 2, p. 513 sqq., Hefele-Leclercq, 1, p. 298 sqq.), edidit 25 canones, e quibus 1-9 spectant ad lapsos, 16-25 ad peccata luxuriae, homicidii et superstitionis. Lapsorum peccata pro gravitate varie puniuntur : presbyteri et diaconi aut gradu ordinis aut eius usu tantum privantur, laici in paenitentia detinentur, non tamen ultra X annos. Peccatis capitalibus paenitentia iniungitur, pro modo culpae (longissimum tempus peccato bestialitatis, c. 16.17).

Conc. Neocaesareense (314/315) edidit 15 canones, e quibus 1.9.10 presbyteros et diaconos fornicantes gradu ordinis privant. Mansi, 2, p. 539 sqq., Hefele-Leclercq, 1, p. 327 sqq.

Duriora Concilia Occidentis. *Illiberitanum*, in Hispania, paulo post 300 (Mansi, 2, p. 1 sqq.; Hefele-Leclercq, 1, p. 212 sqq.), edidit 81 canones valde rigidae indolis. Ex his viginti denegant communionem eucharisticam etiam in fine vitae quibusdam peccatoribus : 1.2.3.6.7.8.12.13.17.18.47.63.64.65.66. 70.71.72.73.75. Hi omnes canones spectant aliquod peccatum e tribus capitalibus (idol., homic., impud.). Alii denegant communionem ad tempus : 3.5.9.10.14.16.20.21.22.31.40.46.47.

50.54.55.56.57.59.61.67.69.70.74.78.79. Alii clericos aut ordine aut usu ordinis privant : 30-33 : quod in clericis est pro excommunicatione. — Rigor ille, quamvis magnus, tamen ad duritiem Novatianorum non accessit : Novatiani etiam ius subveniendi quibusdam peccatoribus denegabant Ecclesiae; Illiberitanum non ius denegavit, sed usum coartavit.

Conc. Arelatense, in causa Donatistarum habitum anno 314 (Mansi, 2, p. 463 sqq.; H.-L.: 1, p. 275 sqq.), communionem in fine vitae denegavit falsorum criminum auctoribus, can. 14 : differentibus paenitentiam usque ad periculum mortis, c. 22. Communionem ad tempus ademit quibusdam aliis : cf. canones. 3.4.5.11.12.21.

De remissione homicidii.

Qui volunt initium remittendae impudicitiae factum esse a Callisto et initium remittendae apostasiae factum esse a Cornelio, laborant in assignando tempore quo homicidium coeptum sit remitti in Ecclesia. Sed frustra. Non enim videtur fuisse ullum tempus quo omne homicidium excluderetur a venia. Iam retulimus ex Clemente Alexandrino, *Q. d. s.*, 42, factum adulescentis praedonis et sicarii, reconciliati a Ioanne Apostolo. Apud Hermam videmus ipsius liberos proditionis erga parentes reos, et tamen veniam consecutos, *Vis.*, 2, 2, 2, coll. *Sim.*, 10. Etiam *Sim.*, 8, 6, 4; 9, 19, 1, inveniuntur προδόται τῆς Ἐκκλησίας, προδόται τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, qui tamen non arcentur a venia. Haec opponi possunt Tertulliano simpliciter neganti homicidis pacem dari ab Ecclesiis. *Pud.*, 12, 11; cf. 5, 15. Etiam Hippolytus opponi potest, *Philos.*, 9, 12, exprobrans Callisto quod feminas stupri et infanticidii reas aut reconciliarit, aut certe non repulerit. Origenes non privat homicidam omni venia : homicidae nulla mentio in illo loco qui dicitur disciplinae maxime rigidae testificari, *De Or.*, 28. E contra, homicidis passim venia proponitur, *In Ex., H.*, 6, 9, *PG.*, 12, 338 AD., *In Mt.*, T. 13, 30, *PG.*, 13, 1173-7. Gregorius Thaumaturgus iubet homicidas interim ab auditione arceri et expectare sententiam episcoporum ; non omnem spem illis adimit, can. 7. Neque praetermittendum factum Philippi imperatoris christiani (?) (244-9), qui de variis facinoribus paenitentiam publice egisse narratur ab Eusebio, *HE.*, 6, 34, *PG.*, 20, 596. Homicidas post certum paenitentiae tempus reconciliari posse statuit *Didascalia Apostolorum syriaca*,

10. trad. Nau[2], p. 98. Conc. Illiberitanum communionem denegavit etiam in fine vitae quibusdam propter homicidium : can. 2.3. flaminibus qui ludos edidissent et diis immolassent aut impudicitia scelus cumulassent; 6. iis qui per maleficium hominem interfecissent: 63. feminis quae infantem ex adulterio conceptum occidissent; 73. delatoribus, si cui mortem conscivissent. At can. 5. propter letalem plagam a domina famulae inflictam. communio per 7 aut 5 annos duntaxat denegatur. Conc. Ancyranum (314), benignius. Nulla mentio communionis in fine vitae negatae. quanquam paenitentia in quibusdam cum vitae spatio aequatur; can. 21. infanticidium iam 10 tantum annorum paenitentia plectitur; can. 22, homicidium voluntarium. paenitentia totius vitae; can. 23, homicidium involuntarium. 5 annorum (antea. 7). Hefele-Leclercq. t. 1, p. 298-326. — De militibus. varia disciplina. Tertullianus rigidus. libello *De corona militis*. Rigidissimus omnium Lactantius, *Div. Inst.*, 6, 20, *PL.*, 6. 708 A. Sed militia nunquam lege universali Ecclesiae interdicta est. Cf. P. Allard. *DA.*, art. *Martyre*. 356. cum bibliographia, *ibid.*

Concilium Nicaenum (325) *EC.*, p. 371.372.384.444.

Egit maxime de lapsis in persecutione Licinii, Mansi. 2, p. 667 sqq., Hefele-Leclercq. 1, p. 528 sqq. Can. 10, statuit ut lapsi. sive ignoranter sive scienter ordinati. ordine priventur. 11. Lapsi quantum tempus paenitentiam agere debeant antequam reconcilientur. 12, Reversi ad militiam post fidem, tres annos detineantur inter audientes: decem inter prostratos, nisi eximia indicia paenitentiae dederint. Maxime animadvertendus c. 13 : Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε, εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι· εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. Καθόλου δὲ καὶ περὶ παντος οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν τῆς Εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. Unde satis constat nunquam fuisse Ecclesiae catholicae voluntatem, ut quisquam vere paenitens communione eucharistica in exitu privaretur.

Tempora postnicaena.

Athanasius. *Ep. 1 Ad Serapion.*, 13. *PG.*, 26, 653 D. vehementer reprehendit Novatianum paenitentiam tollentem. — *Ep. ad Rufinianum, PG.*, 26. 1180, refert quid episcopis

Aegypti, necnon Graeciae, Galliae, Hispaniae placuerit de conversis ab haeresi : si acriter propugnaverint haeresim, recipi posse in Ecclesiam, non tamen in clerum : secus, recipi posse et in Ecclesiam et in clerum.

Aphraates, *Demonstr.*, 7, 25, *PS.*, 1, 356 : « Aliquibus delictum confitentibus paenitentia non conceditur. O dispensator domus Christi! sodali tuo paenitentiam concede, et memento Dominum tuum non respuere paenitentes. »

Basilius, *Epistulae canonicae ad Amphilochium*, 188.199. 217. *PG.*, 32, 664-884; 715-732; 793-810. — Gregorius Nyssenus, *Ep. canonica ad Letoium Melitines episcopum*, *PG.*, 45, 221-236. *EC.*, 373-375.

Epiphanius *H.*, 59, *PG.*, 41, 1017-1038. *Adv. Catharos.*

Pacianus, *Epp. tres ad Sympronianum Novatianum*, *PL.*, 13; v. g., 3, 24, 1079 CD : « Cur Ecclesiam damnas? cur pro paenitentibus prohibes deprecari, si etiam pro his petere licet pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentius Cyprianum meum ; lege totam de Lapsis epistulam ; lege aliam quam ad Antonianum dedit, ubi exemplis omnibus Novatianus urgetur : iam scies quid de paenitentium curatione pronuntiet. Cyprianum loquor vestra oppugnantem et catholica iura retinentem. Tertullianum post haeresim (nam multa inde sumpsistis) ipsum epistula sua, et ea ipsa quam catholicus edidit, audies confitentem posse Ecclesiam peccata dimittere. »

Ambrosius, *Paen.*, 1, 3, 10, *PL.*, 16, 469 BC : « Aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus, qui nemini paenitentiam dandam putavit, ea se, contemplatione ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putetis et quae sine remedio esse arbitremini : sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. »

Hieronymus, *Vir. ill.*, 82, *PL.*, 23, 691 A, meminit Reticii Augustodunensis, qui scripsit « grande volumen adversus Novatianum ». Ille Reticius, teste Augustino, *C. Iulian.*, 1, 3, 7, *PL.*, 44, 644 : « in urbe Roma, Melchiade Apostolicae Sedis episcopo praesidente, cum aliis iudex interfuit, Donatumque

damnavit. » - Idem Hieronymus Pelagium haereticum, omisso nomine, notat, *In Ieremiam Prologus*, *PL.*, 24, 682 A : « Nec recordatur stolidissimus et Scotorum pultibus praegravatus, nos in ipso dixisse opere : « Non damno digamos, immo nec trigamos, et si fieri potest, octogamos. Plus aliquid inferam : etiam scortatorem recipio paenitentem : quidquid aequaliter licet, aequali lance pensandum est. »

Ps. Augustinus, *Qq. VT.*, 102, *PL.*, 35, 2303-2313 : sic 2304 : « Novatianus fingit agendam paenitentiam. Quia enim aperte non audet negare paenitentiam dandam, astrictus Lege, subtiliter hanc frustrare contendit. Quando enim dicit quia qui negaverit nullo modo veniam habebit, sed negabitur et ipse in conspectu angelorum Dei, quomodo non cum dolo agendam paenitentiam profitetur? »

Ceterum, ante exortam Novatiani haeresim, multa manserant incerta. Unde Augustinus, *In Ps.*, 54, *Enarr.*, 22, *PL.*, 36, 643 : « Numquid perfecte de paenitentia tractatum est antequam obsisterent Novatiani? »

Inter *documenta Sedis Apostolicae*, haec attende :

Innocentius P. R., *Ad Exuperium episcopum Tolosanum*, 20 feb. 405, *PL.*, 20, 498, *DB.*, 95.

Caelestinus, *Ad Episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis*, 26 iul. 428, 3, *PL.*, 56, 577.8, *DB.*, 111.

Gelasius, *Tom.* « *Ne forte* », circ. 495, *PL.*, 59, 105 A, *DB.*, 167.

Probatur thesis III. *Ratione theologica.*

S. Thomas, 3ª q. 86 a. 1 : « Utrum per paenitentiam omnia peccata removeantur. R.d.q. hoc quod aliquod peccatum per paenitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter : uno modo, quia aliquis de peccato paenitere non posset; alio modo, quia paenitentia non posset delere peccatum. Primo quidem modo non possunt per paenitentiam deleri peccata daemonum et etiam hominum damnatorum, quia affectus eorum sunt confirmati in malo... Tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cuius liberum arbitrium flexibile est ad bonum et ad malum. Unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita de quo quis paenitere non possit, erroneum est... — Quod autem secundo modo non possit per veram paenitentiam aliquod peccatum remitti,

est etiam erroneum : 1° quidem, quia repugnat divinae misericordiae, de qua dicitur *Ioel*, 2, 13 quod *benignus et misericors est et patiens et multae misericordiae et praestabilis super malitia* : vinceretur enim quodam modo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. 2°, quia hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam paenitentia operatur, sicut et cetera sacramenta, cum scriptum sit (*I Io.*, 2, 2) : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi.* Unde simpliciter dicendum est quod omne peccatum in hac vita per paenitentiam veram deleri potest. »

THESIS III

Sacramentum Paenitentiae constat duabus partibus essentialibus : quasi materia Sacramenti sunt actus paenitentis : contritio, confessio, satisfactio ; forma est absolutio sacerdotis.

Prolegomena.

1. Investigatur compositio physica Sacramenti Paenitentiae.

2. Thesis statuitur primario contra Lutheranos, negantes ipsum fundamentum doctrinae ecclesiasticae de Sacramento Paenitentiae, cum omnem iustificationem soli fidei imputant, ac diserte negant partes Sacramenti esse contritionem, confessionem, satisfactionem. Prop. Lutheri 5, *DB.*, 745.

Statuitur secundario contra quosdam veteres theologos, imprimis Scotistas, reponentes totam essentiam Sacramenti in sola absolutione sacerdotis. Scotus, *In 4 d.*, 19 q. 1 n. 7 : « De paenitentiae sacramento dico quod ista tria (contritio, confessio, satisfactio) nullo modo sunt partes eius... » Scoto praeiverat Robertus Pullus, *Sent.*, 6, 61, *PL.*, 186, 910.

3. Partes essentiales ponuntur, ad veritatem Sacramenti requisitae, hinc actus paenitentis sumpti per modum unius, illinc absolutio sacerdotis. Inter ipsos autem actus paenitentis, distinctione quadam opus est. Sunt quidem omnes et singuli ad sacramentum necessarii tanquam partes integrales, ut perfectum sit sacramentum ; sed non eadem omnium necessitas. Per accidens enim sufficere potest confessio in voto, et a fortiori satisfactio in voto. Contritio autem requiritur in re.

Cum agitur de materia, intellege materiam ex qua fit sacramentum. Peccata autem sunt materia circa quam.

4. Thesis, quatenus opponitur Luthero, est de fide definita. Quatenus opponitur Scoto, exprimit doctrinam communem, nec potest sine offensione decreti tridentini negari ita ut asseratur actus paenitentis nullo modo esse partes Sacramenti. E Scotistis recentioribus, alii simpliciter accedunt ad thesim nostram: alii defendunt actus paenitentis esse partes integrales, non addunt ex illis confici partem Sacramenti essentialem. In quo videtur sententia eorum aliquantum claudicare. — Cf. Galtier, § 376.

Probatur thesis.

I. *Documentis ecclesiasticis.*

Leo M., *Ep.*, 108, *Ad Theodorum Foroiuliensen,* 11 iun. 452, *DB.,* 146.147.

Conc. Constantiense sub Martino V, 22 feb. 1418, *Interrog. Wicleff. et Hussit.*, 21, *DB.*, 671.

Conc. Florentinum sub Eugenio IV, *Decr. pro Armenis*, 22 nov. 1439, *DB.*, 699 (disertissime).

Leo X, *Bull. Exsurge, Domine,* 15 iun. 1520, prop. 5, *DB.*, 745.

Conc. Tridentinum, s. 6, *De iustificatione*, c. 14 (13 ian. 1547), *DB.*, 807; s. 14, *De Paenitentia*, c. 3. et can. 4, *DB.,* 896 et 914.

Ubi animadverte actus paenitentis a Florentino et Tridentino dici « quasi materiam » Sacramenti, non simpliciter materiam, quia non plane eadem est ratio compositionis in omnibus sacramentis : aliter enim se habet v. g. aqua in Baptismo, aliter actus paenitentis in Paenitentia. Sed tamen utrinque habetur elementum determinabile, quod, accedente verbo sacerdotis, ingrediatur ipsam Sacramenti essentiam.

Accedit *Catechismus Trid.*, part. 2, *De Sacramento Paenitentiae,* n. 18; ed. Tornaci 1890, p. 215.

II. *Ratione theologica.*

Ad essentiam Sacramenti pertinet quidquid requiritur ad constitutionem iudicii reconciliativi. Ad hoc autem requiruntur et actus paenitentis, quibus ad reconciliationem se disponat, et absolutio sacerdotis, qua perficiatur reconciliatio.

Requiruntur actus paenitentis, per quos consistat adversum

se accusator (contritio), testis (confessio), et sententiae executor satisfactio. Requiritur absolutio sacerdotis exercentis iudicium nomine Dei. Hoc intellexerunt Patres, quorum auctoritates in thesi II^a recitatae sunt, et explicat S. Thomas, 3^a q. 84 a. 2 : « Materia proxima huius sacramenti sunt actus paenitentis, cuius materia sunt peccata, de quibus dolet et quae confitetur et pro quibus satisfacit.. » a. 3 : « In qualibet re, perfectio attribuitur formae. Dictum est autem... quod hoc sacramentum perficitur per ea quae sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet quod ea quae sunt ex parte paenitentis, sive sint verba sive facta, sint quaedam materia huius sacramenti : ea vero quae sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formae... » — Cf. q. 86 a. 6 ; q. 90 a. 1 et 2 : *In 4d.*, 14 et 17.

Quod autem contritio, confessio, satisfactio sint partes integrales, vide praesertim a. 3.

Pro sententia Scoti, aliquando urgetur consuetudo Ecclesiae, impertientis absolutionem homini moribundo, iam sensibus destituto : quod sua iam aetate fieri solitum testatur Augustinus, *De coniug. adult.*, 1, 28, 35, *PL.*, 40, 470 : unde colligi videtur totum Sacramentum constare sola absolutione. — Respondetur hoc ab Ecclesia fieri ex aliqua praesumptione actuum a paenitente ante positorum ; quod autem aliqua pars materiae per accidens deficiat, hoc veritati Sacramenti non officere.

CAPUT II

DE CONTRITIONE

THESIS IV

Contritio ad remissionem peccatorum in Sacramento requiritur necessitate praecepti et medii.

Prolegomena.

1. Thesis statuitur de remissione peccatorum mortalium; i. e. de transitu a statu peccati ad iustitiam. De remissione venialium, disputabitur infra.

2. Contritio pertinet ad virtutem paenitentiae, de qua cf. dicta in Prooemio. A Tridentino definitur, s. 6, c. 4, *DB.*, 897 : « animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero ». Origo vocis ex Scriptura, cf. LXX, *Ps.*, 33, 19; 146, 3; *Is.*, 61, 1; *Thren.*, 2, 13. — Origenes, *In Ierem.*, 18, 1-16, *Hom.*, 18, *PG.*, 13, 464, de figulo conterente vas. Augustinus, *In Ps.*, 74, 2; 146, 3, *Enarr.*, *PL.*, 36, 947; 37, 1902-3. — Idem significatur nomine compunctionis; Gregorius M., *In Ezech.*, (40, 47), *L.* 2, *Hom.*, 10, *PL.*, 76, 1070.

Motus contritionis alius est formalis, quo homo aversatur ipsum peccatum, alius virtualis, quo prosequitur bonum peccato oppositum. Ad remissionem in Sacramento, requiritur motus contritionis, et quidem formalis, qui versetur circa ipsum peccatum, ut possit esse pars Sacramenti. Eiusmodi contritio oportet includat propositum non peccandi; et per se quidem formale propositum requiritur; per accidens tamen sufficere poterit virtuale, si homo, ex motivo universali contritus de omnibus peccatis, ita occupetur in eorum detestatione ut de futuro non recogitet.

3. Quaestio versatur in praesenti ordine Providentiae, prae-

supposita potestate clavium. Num in alio ordine Providentiae potuerit absolute Deus gratis condonare delictum etiam homini non contrito, quaestio theoretica agitatur, non magno fructu; qua potest supersederi. Non desunt qui respondeant affirmative. Cf. Suaresium, *In 3*, q. 86 a. 2, *Disp.* 9 s. 2, ed. Paris, 1866, t. 22, p. 156 A. — Amplius, I. M. Martinez de Ripalda, S. I., † 1648, *De Ente supernaturali L.* 6, *Disp.* 132 s. 24.

4. Vix inventus est quisquam qui negaret ante Lutherum. Ille autem iam anno 1519, sermone de Sacramento paenitentiae, inculcabat peccatori non esse curandum utrum « contritionem haberet sufficientem annon ». Quod magis evolvit, proposita iustificatione per solam fidem. Vide articulos Smalcaldicos (1537), p. 3, art. 3, n. 12.18. Paenitentiam autem nullam admittebat nisi cessationem a peccato et novitatem vitae, sine detestatione delicti praeteriti. — Thesis est de fide.

Probatur thesis.

A. *Necessitas praecepti.* — Colligitur ex manifesta voluntate Christi, per se ac per discipulos suos vocantis omnes homines ad paenitentiam (*Mt.*, 4, 17; *Act.*, 2, 38, etc...), et ita instituentis iudicium sacerdotale ad remissionem peccatorum, ut peccata retinenda essent indignis, i. e. maxime contumacibus et et impaenitentibus.

Colligitur insuper ex necessitate medii.

B. *Necessitas medii.* — Tota traditio christiana ostendit remissionem peccatorum cum contritione cordis connexam tanquam cum condicione sine qua non.

Scripturae VT. — 3 *Rg.*, 8, 46-50; *Ps.*, 6, 2-7; 7, 13; 31, 5.6; 50, 3-19; *Ier.*, 31, 18-20; *Ez.*, 18, 21 sqq. 33, 11-12; *Ioel*, 2, 12; *Eccli.*, 2. 22.

Scripturae NT. — *Luc.*, 7, 36-50; 13, 3-5; 15, 11-32; 18, 11-14; Act., 2, 37.38; 3, 19, etc..., 8, 22-23; 26, 18-20; 2 *Cor.*, 7, 10; *Ap.*, 2, 4.5.

Patres. — Hermas, *Mand.*, 4, 2-3, et passim. — Iustinus, *Dial.* 141, *PG.*, 6, 797 C-800 A. (Confutat efficaciter Lutherum. Mortuus erat Lutherus anno 1546; editio princeps Iustini data est anno 1551). — Irenaeus, *H.*, 1, 10, 1, *PG.*, 7, 552 A; 4, 40. 1, 1112 B C. — Cyprianus, *Laps.*, 15.16, p. 247, 24-249, 16; 22, p. 253, 16-254, 5; 30-34, p. 259, 4-262, 10. — Pacianus

Novatianis appellantibus auctoritatem Cypriani (*Laps.*, 19 respondet Cyprianum nequaquam denegasse pacem lapsis, sed denegasse non paenitentibus, *Ep. ad Sympron.*, 3, 22, *PL.*, 13, 1078 C; docet confessionem sine paenitentia inefficacem, *Paraenes. ad paen.*, 9, *PL.*, 13, 1086 C-1087 B. — Ambrosius, *Paenit.*, 2, 10, 95, *PL.*, 16, 520 A, docet ideo non saepius concedi paenitentiam publicam) « ne homines luxurientur in Christo », i. e. ne liberius ac sine vero animi dolore agant. — Augustinus, *Enchir.*, 65, *PL.*, 40, 262 : « In actione paenitentiae... non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit. » — Gelasius, P. R., A. D. 493, *Ep. ad Faustum*, *TDC.*, 1208 : « ... Mortuos suscitasse legimus Christum, in errore mortuos absolvisse non legimus. » — Gregorius M., *Homil. in Evangel.*, *L.* 2, *H.*, 34, 15, *PL.*, 76, 1256. — Alii innumeri.

Scholastici. — Anselmus, *Hom.*, 13, De decem leprosis, *PL.*, 158, 662 C. — Ps. Augustinus, *De vera et falsa paenitentia*, 6, 17, *PL.*, 40, 1118. — Abaelardus, *Ethica* (*Scito te ipsum*), 19, *PL.*, 178, 664 D-665 B. — Petrus Lombardus, *4 d.*, 17, 2, *PL.*, 192, 881. — Petrus Pictaviensis, *Sent.*, 3, 13, *PL.*, 211, 1071 AB. — Alanus ab Insulis, *Summa de arte praedicatoria*, c. 30, *PL.*, 210, 169 D-170 C. — Innocentius III, *Dialogus inter Deum et peccatorem*, *PL.*, 217, 695 AB. — Alii multi apud Schmoll, *Die Busslehre der Frühscholastik*, München, 1909 : S. Raymundus de Pennafort, p. 114; Guilelmus Alvernus, p. 129; Albertus M., p. 133; Alexander Alensis, p. 139... — Scholasticis saec. XII et XIII sollemne est ut contemplentur remissionem culpae factam ex ipsa contritione ante absolutionem sacerdotis. Sed nemo eam contemplatur factam sine contritione. Nec defuerunt haeretici qui, omissa potestate clavium, docerent sola contritione cordis remitti peccata : Wicleff, prop. 7, damnata a Conc. Constantiensi (1415), *DB.*, 587; Petrus de Osma, prop. 1 damnata a Sixto IV (9 Aug. 1478), *DB.*, 724. — De lutherana paenitentia, cf. Dom. Soto, *De Natura et Gratia*, 2, 5; Andr. Vega, *De Iustificatione*, 13, 17.

Documenta Ecclesiae. — Propositiones Ekardi 14 et 15, damnatae a Joanne XXII, *Constt.* « *In agro dominico* », 27 mart. 1329, ab averroismo, ut videtur, derivatae, nec satis

remotae a pantheismo ideali. — Cf. art. *Eckart*, in *DTC* F. Vernet. 1910 ; Pourrat. *La spiritualité chrétienne*, t. 2. p. 323-8 (1921).

Leo X. *Bull.* « *Exsurge, Domine* » 15 iun. 1520. contra Lutheri errorem antea inauditum, n. 6. *DB.*, 746 : « Contritio. quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum. qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae. ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis ac aeternae damnationis acquisitionem. haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem. » — Ibid.. Prop. 7.11.12.14.

Doctrinam catholicam confirmavit et exposuit *Conc. Tridentinum*, s. 14 25 nov. 1551 , c. 4, *DB.*, 897, et can. 5. *DB.*, 915.

Ratio theologica. S. Thomas, 3ª, q. 86 a. 2 : « Utrum sine paenitentia peccatum remitti possit. — R.d.q. impossibile est peccatum actuale mortale sine paenitentia remitti, loquendo de paenitentia quae est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiae... Bona voluntas Dei quae in nomine gratiae intelligitur, est causa omnis boni creati... Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae quod voluntas hominis sic immutetur ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae et proposito emendandi; quod pertinet ad rationem paenitentiae, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine paenitentia secundum quod est virtus... » — Cf. 1ª 2ªᵉ q. 113 a. 2 et 5; *In 4 d.*, 17 q. 2; — 3ª q. 90 a. 3 ad 2ᵐ : « Fundamentum quodam modo virtute continet totum aedificium: et hoc modo contritio continet virtute totam paenitentiam. »

Quatenus autem formalis contritio requiratur, cf. Billot, *De Sacramentis*, t. 2⁴, p. 126-127.

THESIS V

Illa demum contritio est efficax ad remissionem peccatorum, quae est interna, supernaturalis, universalis et appretiative summa.

Probatur thesis per partes.

A. Requiritur contritio *interna*, i. e. vera.

Opponitur hinc dolori ficto, seu non sincero, qui faceret hominem sacrilegum, si ad Sacramentum accedere auderet imparatus; illinc dolori existimato bona fide, non tamen vero, qui non faceret quidem hominem sacrilegum, sed tamen sacramentum nullum. Licet enim ea contritio requiratur quae possit esse pars sacramenti, ac propterea aliquo signo externo se prodat, tamen omnem vim et efficaciam ducit ex motu voluntatis interno, non ex exomologesi externa.

Probatur *Scriptura*. — *Ioel.*, 2, 13 : « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra... » *Lc.*, 15, 21 (prodigus) : « Pater, peccavi in caelum et coram te... »; 18, 13.14 (publicanus) : « Deus, propitius esto mihi peccatori. »

Patribus. — Origenes, *In Ierem., Hom.*, 19, 9, *PG.*, 13, 521 (Klostermann 20, 9, p. 191-2). — Cyprianus, *Laps.*, 36.

Scholasticis. — Ps. Augustinus, *De vera et falsa paenitentia*, 10, 25, *PL.*, 40, 1122; 15, 30, 1125. — Alanus de Insulis, *Summa de arte praedicatoria*, c. 30, *PL.*, 210, 170. — Alexander Alensis, *Summa*, p. 4 q. 17, m. 1 a. 1, ed. Venet., 1575, p. 281 R.

Documentis Ecclesiae. — *Trid.*, s. 14, c. 4, *DB.*, 897.

Ratione theologica. — S. Thomas, 3ª q. 85 a. 4 : « Utrum voluntas sit proprie subiectum paenitentiae. — R.d.q. de paenitentia dupliciter loqui possumus : uno modo, secundum quod est passio quaedam; et sic, cum sit species tristitiae, est in concupiscibili sicut in subiecto; alio modo, secundum quod est virtus, et sic est species iustitiae... Iustitia autem... habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Unde manifestum est quod paenitentia, secundum quod est virtus, est in voluntate sicut in subiecto, et proprius eius actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est. »

B. Requiritur contritio *supernaturalis*, et quidem dupliciter : 1) ratione principii elicientis, quod est principaliter divina

gratia; 2) ratione obiecti formalis, seu motivi, quod fides subministrat.

1) Principium contritionis signatur ipse Deus :

Scriptura. — *Ps.*, 50, 12 : « Cor mundum crea in me Deus... » : *Ez.*, 36, 26 : « Dabo vobis cor novum... ». *Ier.*, 31, 18 : « Converte me et convertar, quia tu Dominus Deus meus. » — Universim valet illud *Io.*, 15, 5 : « Sine me, nihil potestis facere. » — 2 *Tim.*, 2, 25.26; *Act.*, 5, 31, etc.

Patribus. — Vide quae scripserunt in hos et similes locos Scripturae. — Prae ceteris legendus Augustinus, adv. Pelagianos; v. g. *Pecc. mer. et rem.*, 2, 18, 31, *PL.*, 44, 169; *De grat. et lib. arb.*, 5, 10, *PL.*, 44, 888; *Ep. ad Paulinum*, 186, 3, 10, *PL.*, 33, 819.820; *Op. imp. c. Iulian.*, 6, 19, *PL.*, 45, 1544. — Potest conferri Ps. Augustinus, *De ver. et fals. paen.*, 2, 3; 9, 23; 13, 28, *PL.*, 40, 1113.1121.1124.

Documentis Ecclesiae. — *Conc. Arausic.* II (529), can. 4.7. 14, *DB.*, 177.180.187.

Conc. Trid., s. 6 c. 6, *DB.*, 798, et can. 3, *DB.*, 813; s. 14 c. 4, *DB.*, 898.

Innocentius XI, *Prop. damn. decr. S. Off.*, 2 mart. 1679, sub n. 57, *DB.*, 1207 : « Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. »

Ratione theologica. — Theologi fere consentiunt initium Paenitentiae salutaris esse a gratia. Vide quae disputant in *4 d.*, 14. — S. Thomas, p. 3, q. 85 a. 5, adumbrat quae *Trid.*, s. 6 c. 6, expressit : « De paenitentia loqui possumus dupliciter : uno modo quantum ad habitum, et sic immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus. Alio modo possumus loqui de paenitentia quantum ad actus quibus Deo operanti in paenitentia cooperamur; quorum actuum 1^{m} principium est Dei operatio convertentis cor (*Thren.*, 5, 21).; 2^{us} actus est motus fidei; 3^{us} est motus timoris servilis.., 4^{us} actus est motus spei..; 5^{us} actus est motus caritatis..; 6^{us} actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.. » — Cf. in h. l. Caietanum, qui docet paenitentiam esse virtutem per se infusam, contra dubium a Scoto et Durando motum. Minus sapienter Scotus, *In 4 d.*, 14.

2) Obiectum formale Paenitentiae satis patet ex dictis. Non

quo non possit paenitentia concipi ex castigationibus divinis quas peccator in hac vita experiatur; si tamen spectantur in lumine fidei. Ita duntaxat concipi poterit paenitentia salutaris, non sterilis afflictio. Ninivitarum paenitentiam tanquam exemplum populo Antiocheno proponebat Ioannes Chrysostomus. *Hom.*, 5, 6, *PG.*, 49, 77; et idem exemplum resumpsit *Tridentinum*, s. 14, c. 4, *DB.*, 898.

Est autem sententia communis Thomistarum ac Suaresii, *De gratia*, 2, 11, ed. Paris., 1857, t. 7, p. 633, actus supernaturales qua tales specificari ab obiecto, ac propterea differre etiam intrinsece actus virtutum infusarum atque acquisitarum. Ita, quantum possumus intellegere, docet S. Thomas, 1^a 2^{ae} q. 63 a. 4; cf. praeterea 1^a q. 77 a. 3; 1^a 2^{ae} q. 54. a. 2; *In 3 d.*, 33 q. 1 a. 2; *De Virt.*, q. 1 a. 10; 2^a 2^{ae} q. 5 a. 3, etc. Et hanc sententiam tenendam existimamus, cum Ch. Pesch, *Prael. Dogm.*, t. 5, n. 69-71; contra Molinam, *Concord.*, In q. 14 a. 13, *Disp.*, 38, ed. Paris, 1876, p. 215, et Card. Billot, *De virt. inf.*, t. 1^2, p. 64-89, Romae, 1905. Alia enim est substantia operis psychologica, quae sola conscientiae innotescit, alia species metaphysica, unde pendet efficacia supernaturalis. In quaestionem late patentem non vacat hic excurrere.

C. Requiritur contritio *universalis*, i.e. quae pertineat ad omnia peccata mortalia quorum homo actu meminit.

Etenim unumquodque peccatum mortale per se est quaedam causa integra et obstat amicitiae divinae, donec efficaciter retractetur. — Cf. Ps. Augustinus, *De ver. et fals. paen.*, 9, 24, *PL.*, 40, 1121; Petrus Lombardus, *4 d.*, 15, *PL.*, 192, 872, sqq.

S. Thomas, 3^a, q. 86 a. 3, quaerit « Utrum possit per paenitentiam unum peccatum sine alio remitti »; et respondet negative, tribus de causis : 1° quia nullum peccatum potest remitti sine gratia : omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae et excludit eam; 2° quia peccatum mortale non potest sine vera paenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum in quantum est contra Deum : quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus; 3° quia hoc esset contra perfectionem misericordiae Dei, cuius perfecta sunt opera : unde, cuius miseretur, totaliter miseretur.

Hinc contritio ex aliquo motivo particulari concepta de uno

aut pluribus peccatis, ita ut ne virtualiter quidem ad cetera extenderetur, inefficax esset ad remissionem.

D. Requiritur contritio *appretiative summa*.

I. e. oportet homo magis aversetur unumquodque peccatum mortale quod commisit, quam quodlibet detrimentum temporale. Eiusmodi autem aversio requirit, praeter iudicium speculativum intellectus, motionem practicam voluntatis.

S. Th., *In 4 d.*, 17 q. 2 a. 3 sol. 1 : « ... In contritione est duplex dolor. Unus in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quae nihil aliud est quam displicentia praeteriti peccati; et dolor talis in contritione excedit alios dolores : quia, quantum aliquid placet, tantum contrarium eius displicet; et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super. omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva qui causatur e primo dolore... et non oportet quod sit maximus dolorum : quia vires inferiores vehementius moventur ab obiectis propriis quam ex redundantia superiorum virium... » Quapropter in singularibus immorari et, omissa oratione ad Deum, anxie secum quaerere se quid facere vel pati paratus sit potius quam peccet, quasi affectus sensibilis, non Dei gratia referret, ineptum ac periculosum est. *Quodlib.*, 1 q. 5 a. 9.

THESIS VI

Contritio caritate perfecta, — quae quidem sub Lege evangelica nulla est sine voto Sacra menti, — iustificat hominem etiam extra sacramentum.

Prolegomena.

1. Contritio caritate perfecta dupliciter intellegi potest : aut quia procedit a caritate — sive ipsa est actus elicitus caritatis, sive actus imperatus a caritate, — aut quia, postquam processit ab alia virtute (timore, spe...), supervenit caritas. In hac thesi, unice agitur de illa contritione quae ideo dicitur perfecta, quia procedit a caritate (de altera, in Thes. VII).

Caritas intellegitur amor Dei super omnia ex pura benevolentia, i. e. propter bonum ipsius Dei qui amatur. Amor autem qui consistit in bono amantis, non est caritas. S. Bernardus, *De diligendo Deo*, 15, 39, *PL.*, 182, 998 BD.,

S. Thomas, 2, 2, q. 23 a. 1 : « Non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor qui est cum benevolentia, quando et sic amamus aliquem ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum aut equum, aut aliquid eiusmodi, non est amor amicitiae ; sed cuiusdam concupiscentiae. Ridiculum enim est dicere quod aliquis habeat amicitiam ad vinum aut ad equum. Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidam communicatione dicitur (*I Cor.*, 1, 9) : Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius. Amor autem super hanc communicationem fundatus, est caritas. » Cf. ibid., q. 27 a. 2.

Num aliqua contritio orta non ex ipsa caritate, sed ex alio motivo cuius terminus sit ipse Deus, puta religionis, iustitiae, grati animi, possit iustificare hominem extra Sacramentum, interdum disputant theologi. Et id multis Scotistis arridet. Cf. Galtier, § 73, p. 53. Probabile visum est Cardinali de Lugo, *De Paen., Disp.* 5, s. 1 n. 9-10. Suaresius, aliquando in illam sententiam propensus, tandem illam reicit, *De Paen., Disp.* 4 s. 2 n. 13, ed. Paris, 1866, t. 22, p. 76 B-77 A. Vasquez erroneam iudicat, *In* 3^m *q.* 85 a. 2 n. 45.

2. Contritio caritate perfecta ideo sub lege evangelica existere nequit sine voto Sacramenti, quia certa voluntate Dei constat Sacramentum Paenitentiae dari tanquam unicam viam ad remissionem peccatorum : quapropter, eius repudiatio consistere nequit cum amore Dei super omnia. Ceterum votum Sacramenti potest esse implicitum tantum.

3. Non requiritur certa intensio nec certum temporis spatium, dummodo caritas, unde contritio procedit, sit in sua specie perfecta.

4. Dicimus contritionem caritate perfectam iustificare hominem extra Sacramentum ; non quo id actu suo faciat tanquam causa efficiens instrumentalis (cf. *Trid.*, s. 6 c. 7, *DB.*, 799-800, de causis iustificationis) ; sed operatur ut causa dispositiva simul ac meritoria, sub Deo causante iustitiam.

5. Thesis statuitur praecipue contra Lutherum ac Baium, et est proxima fidei.

Probatur. I. *Scriptura.* — Multipliciter constat eum qui vera amicitia Deum amet, ab eo vicissim amari. Amari autem a Deo, est habere iustitiam.

Ex VT. : *Deut.*, 4, 29; *Prov.*, 8, 17; *Ez.*, 18, 21; 33, 12; *Ps.*, 31, 5; 50, 19.

Ex NT. : *Io.*, 14, 21; *1 Io.*, 4, 7. 16 17. (Noli adducere huc *1 Pt.*, 4, 8, ubi veri simile est respici *Prov.*, 10, 12, quod pertinet ad offensas proximi excusandas .

Confirmatur collata utriusque Testamenti oeconomia, Minime dubium est quin habuerit VT parata peccatoribus remedia et vias ad iustificationem. Nulla autem alia via appareret praeter hanc contritionis perfectae. Porro nulla ratio assignari potest cur illa via minus conduceret ad iustificationem sub NT quam sub VT. Nam merita Christi multo magis nunc operantur, dummodo homo ad voluntatem Christi se accommodet per votum Sacramenti ab ipso instituti.

II. *Patribus.* — Clemens Alex., *Quis div. salv.*, 38, *PG.*, 9. 644 B (Stählin, p. 185, 3-6). — Ioannes Chrysostomus, *In S. Romanum Martyrem*, 1, 1, *PG.*, 62, 640; *In 2 Cor., H.*, 14, 3, *PG.*, 61, 502. — Asterius Amasenus, *Hom.*, 13, *PG.*, 40, 357 A. — Ambrosius, *De obitu Valentiniani*, 51-53. 75, *PL.*, 16, 1374 B-1375 A; 1380 C-1381 A. — Augustinus *Enchir.*, 65, *PL.*, 40, 262; 117, 31, 286; *In Io., Tr.*, 83, 3, *PL.*, 35, 1846; *In 1 Io., Tr.* 5, 10, *PL.*, 35, 2017; *BcD.*, 4, 21, 28; 22, 29, *PL.*, 43, 172-174. — Caelestinus P. R., *Ep.*, 4, 2, 3, *PL.*, 50, 432 B. — Leo M., *Ep.*, 108, 4, *PL.*, 54, 1013 A. — Petrus Chrysologus, *Serm.*, 94, *PL.*, 52, 466. — Gregorius M., *In Evang. Hom.*, 33, 4, *PL.*, 76, 1241.

III. *Documentis Ecclesiae.* — *Trid.*, s. 14 c. 4, *DB.*, 898, docet : « ... etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare prius quam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Ubi animadverte *aliquando* non ad solum *perfectam esse* referri oportere, sed

coniunctim ad *perfectam esse* et *reconciliare*, ita ut non *aliqua* sed *omnis* contritio caritate perfecta reconciliet hominem.

Confirmatur eo quod ad nullum Sacramentum vivorum, praeter SS. Eucharistiam, expresse requiritur praevia confessio sacramentalis, quanquam ad omnia requiritur status gratiae. *Trid.*, s. 13, c. 7 et can. 11, *DB.*, 880.893.

Pius V. 1 oct. 1567, *Adv. errores Baii*, 31.32.33.70.71; *DB.*, 1031-3; 1070-1.

Ceterum Patres Tridentini ideo abstinuerunt graviore censura adversus contrariam sententiam, ne quam notam inurerent memoriae Adriani Ultraiectensis (= Adriani VI, P. R., 1522-3) et Caietani, qui eam secuti esse ferebantur. Cf. Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.*, 12, 10, 27; *Acta genuina Conc. Trid.*, ed. Theiner, t. 1, p. 595.

Accedit auctoritas *Catechismi Tridentini*, 2, 5, 27.

IV. *Ratione theologica.* — Quemadmodum homo peccando aversus est a Deo, ita detestando peccatum quantum potest, cum voto sacramenti, convertitur ad Deum quantum potest. Deus autem ipse conversionis auctor cor contritum et humiliatum non despicit, sed, quemadmodum pater prodigi, occurrit ei et per donum gratiae eum sibi reconciliat.

Egregie S. Bernardus, *Ep.*, 107, 8, *PL.*, 182, 246: « Nemo se amari diffidat, qui iam amat. » — *De diligendo Deo*, 12, 34, *PL.*, 182, 995 D-996 A. — Neque aliter Abaelardus, *Ethica*, 19, *PL.*, 178, 663 C D.

S. Thomas, *In 4 d.*, 17 q. 2 a. 5 sol. 3 (= *Suppl.*, q. 5 a. 3): « Contritio... habet duplicem dolorem. Unum rationis, qui est displicentia peccati commissi; et hic potest esse adeo parvus, quod non sufficiet ad rationem contritionis, ut si minus displiceret ei peccatum quam debeat displicere separatio a fine; sicut etiam amor potest esse ita remissus, quod non sufficit ad rationem caritatis. Alium dolorem habet in sensu; et parvitas huius non impedit rationem contritionis, quia non se habet essentialiter ad contritionem, sed quasi ex accidenti ei adiungitur; et iterum, non est in potentia nostra. Sic ergo dicendum quod, quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. » — Consonat S. Bonaventura, *In 4 d.*, 16 p. 2 a. 2 q. 1.

Ita Thomistae communiter et Scotistae. Communem doctrinam explicat Bellarminus, *De Paenit. L.* 2 c. 11, prop. 1ª. *Opp.*, ed. Coloniae Agrippinae. 1619, t. 3, p. 1083-1087. *Prop.* 4ª : « Non requiritur certus gradus intensionis neque mora ulla temporis, ad veram contritionem. » — Suarez. *Disp.*, 4 s. 4 n. 9.

Attende autem singularem positionem Caietani, *Opusc.* 4. *De Attritione et Contritione*, q. 1, ed. Bergomi, 1590, p. 86 : « Contritio... est displicentia perfecta. Ex tribus... constat huiusmodi perfecta displicentia : 1ᵐ est ipsa displicentia peccati : 2ᵐ est propositum de cetero non peccandi mortaliter : 3ᵐ est quod sit caritate informata... — Circa defectum 3ᵉ conditionis, advertendum est quod in conditione illa clauduntur duo, quorum unum est in potestate nostra et de eo certi esse possumus ; alterum est ex divina gratia, et nobis incertum. Horum 1ᵐ est diligere Deum super omnia ; 2ᵐ est quod huiusmodi diligere sit informatum caritate diffusa a Spiritu Sancto in cordibus filiorum Dei. Et si quidem defuerit 1ᵐ sc. dilectio Dei super omnia, attritio, non contritio est : si vero 1ᵐ affuerit, contritio vocatur. Esse autem hanc dilectionem in potestate nostra ex eo patet quod, sicut in potestate nostra est habere Deum, etiam ut beatitudo est Sanctorum, pro ultimo fine, ita quod intendamus et deliberemus praeferre ipsum in voluntate nostra omnibus quae desiderari haberive possint. Quod etiam huiusmodi dilectio exigatur ad contritionem et distinguatur ab attritione, ex eo patet quod sine huiusmodi dilectione non potest esse informatio caritatis : substernitur enim huiusmodi dilectio acquisita caritatis formationi, et tunc tam sapientes quam boni fideles tam seipsos quam alios habent pro contritis, cum haec dilectio testimonium perhibet. Quod demum huiusmodi tam dilectio quam contritio possit esse sine caritate, ex eo patet quod multi sciunt se habere hanc dilectionem et nesciunt se esse in caritate... » — Ab his plurimum dissentimus. Non enim statuimus esse in potestate nostra diligere Deum super omnia efficaciter ex viribus naturae, neque eiusmodi dilectionem per se innotescere conscientiae nostrae, neque dilectionem Dei acquisitam et infusam simpliciter differre ut hominis conatum et supervenientem informationem caritatis.

Certum gradum caritatis seu intensam caritatem ad iustificationem requisivit Christianus Lupus, O. S. A. (1612-1681),

in *Dissertatione dogmatica de contritione et attritione,* edita Lovanii ann. 1666, c. 7 : « Est sola caritas perfecta quae vivit patienter, delectabiliter moritur, et omnem rerum creatarum adfixivum amorem in nobis exstinguit... » Similia invenias apud Iuenin, Berti, Estius, Gazzaniga. A quibus etiam recedimus, ut minus fundatis. Ceterum ultro laudamus aemulantes charismata meliora.

Scholion. — *De occisione in bello iusto,* quatenus militem occisum iustificet coram Deo.

Quaestio ex dictis solvenda est. Occisio in bello iusto catenus censenda est iustificare militem coram Deo, quatenus ex motivo caritatis obviam ivit leto et moritur cum voto Sacramenti. — Cf. Card. Billot, *Discours au Séminaire français,* 25 Mart. 1915, *La France catholique à Rome,* p. 24-27. — Y. de La Brière, *Luttes de l'Église et de la Patrie* (3e *série*), appendice, 1916. — P. Allard, in *DA.,* t. 3, 339 (art. *Martyre*).

THESIS VII

Contritio formidolosa seu attritio, ex gehennae et poenarum metu concepta, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, est actus honestus ac salutaris; et quamvis per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, proxime disponit illum ad iustificationem in Sacramento assequendam.

Prolegomena.

1. Contritionem et attritionem veteres scholastici distinguere solebant tanquam actum perfectum et imperfectum. Exempla multa invenies apud P. Schmoll, O. F. M., *Die Busslehre der Frühscholastik,* München, 1909. Nominari possunt :

Alanus de Insulis (+ circ. 1202), *Theologicae Regulae*, 85, *PL.,* 210, 665 C : « Malum... aut attritione remittitur, ut quando aliquis dolet se hoc commisisse, cessans ab opere, quamvis non paeniteat perfecte; aut contritione dimittitur, quando plenarie de peccato convertitur. »

Stephanus Langton (+ 1228), *Summa theologica inedita,* cod. Bamberg., 136, Q. VI, 50 fol. 74 b; Schmoll, p. 94 : « Attritio est amaritudo cordis quam habet homo peccatum suum recolens et detestans. »

Innocentius III († 1216), *Comm. in Psalmos paenitentiales, Ps.*, 1, *PL.*, 217, 1004 : « Nisi talis et tanta sit conturbatio paenitentialis, ut sufficiat ad avertendam poenam aeternam, atterit procul dubio, sed non conterit, poenam inferens sed veniam non impendens. »

Guilelmus Altissiodorensis († 1230), *Summa aurea*, ed. Paris., 1500, 4, 2 fol. 268 a : « Quanto anima magis ac magis atterit se ipsam et punit se, tanto magis in se pacem habet. »

Guilelmus Alvernus (alias Parisiensis, † 1248), *Opp.*, ed. Londini 1674, p. 466 : « Si quis quaerat quae sit differentia inter attritionem et contritionem, et inter motus praevenientes gratiam gratum facientem et motus ipsius gratiae, ... nullatenus dubitandum est quin gratiam quandam praevenientem habeant et praeparantem eos ad gratiam gratum facientem. Dico ergo quod attritio ad contritionem sic est sicut vulneratio non letalis ad occisionem, et gratia praeveniens ad gratiam gratum facientem, sicut calefactio ad arsionem et sicut illuminatio, quae est umbra, ad irradiationem... »

Alexander Alensis († 1245, *Summa*, p. 4, q. 17, m. 5 a. 1, ed. Venet., 1575, t. 4, 305 R : « Simpliciter differunt attritio et contritio. Ad illud quod obicitur, quod continuitas continui est unitas, dicendum quod unus est motus continuitate motus naturae et continuitatis, non est tamen ita unus vel simplex, quin habeat partem et partem ; et in una parte est a gratia gratis data, et hoc nominat attritio, in alia parte est a gratia gratum faciente, et ipsum, prout sic est, nominat contritio. Et sic simpliciter differunt. » Ubi animadverte veterem acceptionem gratiae gratis datae, de motu gratiae actualis praevenientis.

S. Bonaventura, *In 4 d.*, 17, p. 2 a. 1 q. 4 : « Ad sacramentum paenitentiae non est necesse quod accedat habens caritatem vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Haec autem dispositio attritio est, quae frequenter ob confessionem superadiunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam ut fiat contritio, sive ut ad ipsam contritio subsequatur. » — Infra explicandum.

S. Thomas, *In 4 d.*, 17, q. 2 a. 1 sol. 2 ad 3^m^ (= *Suppl.*, q. 1 a. 2 ad 2^m^) : « Attritio dicit accessum ad perfectam contritionem : unde in corporalibus dicuntur attrita quae aliquo modo

diminuta sunt, sed non perfecte. Sed contritio dicitur quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima; et ideo significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam. » Alii autem legunt : « Attritio [non] dicit accessum ad perfectam contritionem... » Utrumque intellegi potest. Si omittatur *non*, intellege accessum = approximationem aliquam; si ponatur *non*, intellege perfectam accessionem. Omnino autem animadverte id quod docet S. Thomas, *De verit.*, q. 28 a. 8 : « ... Omnis dolor de peccato in habente gratiam est contritio, et similiter omnis actus fidei gratiae coniunctus est fidei formatae actus. » *Ibid.*, ad 3^m^ : « Contritio ab attritione praecedenti non differt solum secundum intensionem doloris, sed secundum informationem gratiae; et ita contritio habet aliquem ordinem posterioritatis ad gratiam, quod non habet attritio. » Cf. *CG.*, 4. 72. — Unde manifestum est contritionem ab attritione distingui non sola intensione, sed etiam principio eliciente, secundum S. Thomam. Quod etiam apud antiquiores apparet incohatum. Relege auctoritates Guilelmi Alverni, Alensis, Bonaventurae.

2. Recentiores autem theologi contritionem ab attritione distinguunt non tantum intensione nec tantum principio eliciente, sed diserte obiecto formali : quatenus attritio aversatur malum poenae et tendit ad bonum hominis, contritio aversatur malum culpae et tendit ad gloriam Dei ex motivo amoris. Haec descriptio dicitur primum exculta a Durando, O. P (+ 1332), *In 4 d.*, 17, et in documenta Tridentina recepta est. S. 14, c. 4, *DB.*, 898 : « Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare... Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu concipitur... » Invaluit autem apud theologos posttridentinos. — De initio illius mutationis legi potest Ios. Göttler, *Der heilige Thomas und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Busssakraments.* Freiburg i. B., 1904. Ex Tridentinis autem lege Dom. Soto. *O. P., De Natura et Gratia*, 2, 16, p. 99-100.

3. Illam attritionem dicimus honestam ac salutarem quae procedat ex timore, et quidem servili, nondum filiali; sed simpliciter servili, i. e. qui, dum refugit gehennam, deponat

affectum peccandi: non serviliter servili, i. e. qui, dum refugit gehennam actu inefficaci, retineat affectum peccandi. Priorem dicimus honestum; posteriorem, turpem.

4. Pars prior thesis opponitur Luthero, damnanti omnem contritionem ex timore conceptam, *Sermone de Paenitentia* (1518) : « Haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem, quia solum timore praecepti et dolore animi id facit. Et tales omnes indigne absolvuntur et communicantur... » Haec sunt prorsus haeretica. Similia magis tecte docuerunt Iansenius, Quesnellus, Pistorienses. Neque a Lutheri vestigiis recesserunt Protestantes recentiores Kantianis commentis imbuti, qui infra moralitatem consistere docent omnem actum aliqua proprii commodi labe adspersum, et totum attritionis genus damnant tanquam « patibuli contritionem » (*Galgenreue*, Harnack, *LBDG.*, t. 3⁴, p. 593-4).

Pars posterior thesis contra veteres quosdam scholasticos, ad iustificationem requirentes contritionem caritate perfectam, etiam in Sacramento. Petrus Lombardus, *4 d.*, 18, 4, *PL.*, 192, 886. — S. Bonaventura, *In 4 d.*, 18, p. 1 a. 2 q. 1 : « Potestas clavium, proprie loquendo, non se extendit ad culpam : nunquam enim sacerdos absolveret quemquam de quo non praesumeret quod esset absolutus a Deo. » Quanquam a nonnullis excusatur. — Gab. Biel (+ 1495), *In 4 d.*, 16 et 18. Caietanus aliquo modo ad hanc sententiam accessit, cum tres attritionis gradus distinxit : unum qui ad iustificationem sufficeret cum Sacramento in voto, alterum cum Sacramento in re, tertium nullo modo. *In p.* 3, q. 84, a. 1. Secundum terminologiam nunc communem, 1ᵘˢ gradus est contritionis perfectae, 2ᵘˢ attritionis efficacis, 3ᵘˢ attritionis inefficacis.

Item, contra recentiores Contritionistas, qui ad remissionem peccatorum etiam in Sacramento requirunt quendam « amorem initialem », et varie suam sententiam explicant. Io. Morinus, Congr. Or. (+ 1659), in Opere *De administratione Sacramenti Paenitentiae*, L. 8 c. 4, ed. Venet., 1702, p. 352-357, duas questiones miscet : unam de contritione necessaria ad iustificationem in Sacramento, alteram de praecepto caritatis : qui ad iustificationem in Sacramento sufficere asserebant attritionem formidolosam, non ideo negabant satisfaciendum esse praecepto caritatis in Deum; sed quaestiones dividendae sunt, ufert rerum natura. Alii dicunt peccata remitti sine Sacramento

per caritatem intensam : per Sacramentum. ex caritate quadam remissa, praedominante tamen. Ita Juenin, *Instt. theol.*, t. 6, p. 457 sq., Paris, 1700 in Indicem relatus 22 mai. et 7 iun. 1708 : Habert, *De Paen.*, 8, 4. *Theol. dogm. et mor.*, t. 6. p. 179 sq., Paris 1709. Alii, praeter aversionem a peccato ex metu poenarum, requirunt motum quendam dilectionis erga Deum. Ita Bossuetius, libello, *De Doctrina Conc. Tridentini circa dilectionem in Sacramento Paenitentiae requisitam* (script. post 1700, ed. posthum., 1736 . p. 3 § 6 n. 14.15 : « Qui docent paenitentes. sufficere attritionem ex solo metu conceptam, non tantum disponere aut parare viam ad iustitiam. Concilio Tridentino addunt, eosque periculose fallunt. — Idem nisi paenitentes provocent ad dilectionem praeparatoriam, eamque tanquam non necessariam si negligant, in Sacramentis conferendis de valore sacramenti sequuntur opinionem probabilem, relicta tutiore : probabilem autem non ex vera, sed ex sua sententia. » Haec verba respiciunt propositionem damnatam decreto S. Officii sub Innocentio XI, 2 mart. 1679, sub n. 1, *DB.*, 1151. Sed licet pro viribus agendum sit ut Sacramenti valor in tuto collocetur, aliud etiam prae oculis habendum est, i. e. quomodo, in Sacramento quod partim constat actibus paenitentis, paenitens inducatur ad agendum pro sua parte : quod non semper pendet ex arbitrio confessarii.

Contra hos omnes statuimus, tanquam sententiam iam communem et moraliter certam ac practice tutam, ad attritionem in Sacramento nullum ex necessitate requiri motum amoris Dei praeter illum quo sincere adhaeretur virtuti et voluntas peccandi excluditur : quo discernitur timor simpliciter servilis a serviliter servili.

Probatur thesis. — A. *Contritio formidolosa, actus honestus ac salutaris.*

I. *Scriptura sacra.* - *Ps.*, 110, 10 : « Initium sapientiae, timor Domini ». Cf. *Prov.*, 1, 7; 14, 27 : « Timor Domini, fons vitae, ut declinent a ruina mortis ». *Eccl.*, 1, 16 ; 7, 40. *Ps.*, 118, 120. 2 *Par.*, 33. 12 sqq. (paenitentia Manasse).

Potest conferri tota praedicatio prophetarum, huc maxime collineans. *Ier.*, 31, 18-20: *Bar.*, 2, 11 sqq.: 3: *Ez.*, 36, 31-32; *Dan.*, 3, 38-40. *Ion.*

Ex NT., praedicatio Baptistae, *Mt.*, 3, 7-12. et ipsius

Domini, *Mt.*, 5, 20-30; 10, 28-33; 11, 20-22; 13, 41; *Lc.*, 7, 44; 10, 19; 13, 3-5; *Io.*, 5, 14. — Praedicatio Apostolorum. *Act.*, 8, 22; *2 Petr.*, 3, 3-9.

Hinc apparet quam immerito protestantes catholicis exprobrent perversam, introducto timore, genuinam ideam contritionis. K. Müller, *Der Umschwung in der Lehre von der Busse während des XII Jahrhunderts*, Freiburg. 1892. Ceterum Ecclesia nunquam oblivioni tradidit id quod Scriptura pariter docet, timori locum esse praecipue initio conversionis ad Deum, iuxta *1 Io.*, 4, 18 : « Perfecta caritas foras mittit timorem ».

II. *Patribus.* — Clemens Alex., *Strom.*, 2, 6, 7, *PG.*, 8, 966-971, ed. Stählin, 2, p. 129-131. — Tertullianus, *Paen.*, 12. — Ambrosius, *In Ps.*, 118, 120, *Serm.*, 15, 37-38, *PL.*, 15, 1423. — Hieronymus, *In Mal.*, 1, 6, *PL.*, 25, 1623. — Augustinus, *Serm.*, 156, 13, 14, *PL.*, 38, 857; *Serm.*, 161, 8, 8, 882; 348, 1, 1; 3, 4, *PL.*, 39, 1526-7; 1529; *De catechiz. rud.*, 17, 27, *PL.*, 40, 331; *De s. virgin.*, 38,39, *PL.*, 40, 418. Cf. Rimml, *Das Furchtproblem in der Lehre des hl. Augustinus*, *ZKT.*, t. 45 (1921), p. 244-9. — Gregorius M., *In Evang. Hom.* 34, 16, *PL.*, 76, 1256; *In Ez., Hom.*, 2, 10, 20-21, *PL.*, 76, 1070; *Moralia*, 24, 6, 10, *PL.*, 76, 291-2; *Dialog.*, 3, 34, *PL.*, 77, 300.

III. *Documentis Ecclesiae.* — Leo X, *Adv. Luther.*, prop. 6. (15 iun. 1520), *DB.*, 746.

Conc. Tridentinum, s. 6 (13 ian. 1547), c. 6, *DB.*, 798; et can. 8, *DB.*, 818; s. 14 (25 nov. 1551), c. 4, *DB.*, 898; et can. 5, *DB.*, 915. — Accedit expositio *Catechismi Tridentini, De Sacramento Paenitentiae*, p. 2, 26-27; ed. Tornaci 1890, p. 220-2. Pius V, *Adv. Baium* 1 oct. 1567), Prop. 38-40, *DB.*, 1038-1040.

Alexander VIII, *Decr S. Off.* 7 dec. 1690), Prop. 7, 14-15, *DB.*, 1297, 1304, 1305.

Clemens XI, *Adv. Paschasium Quesnel*, *Bull.* « *Unigenitus* » (8 sept. 1713), Prop. 44, 59-62, *DB.*, 1394, 1409-1412.

Pius VI, *Adv. Pistorienses*, *Constt.* « *Auctorem fidei* » (28 aug. 1794), Prop. 23-24-25, *DB.*, 1523-1524-1525.

De documentis Tridentinis nota.

Quoniam idem est processus II^ae iustificationis, per Sacramentum Paenitentiae, de qua *Trid.*, s. 14 c. 4, et I^ae iustifi-

cationis, per Sacramentum Baptismi, de qua *Trid.*, s. 6 c. 6, merito instituitur collatio utriusque descriptionis, et una ab altera illustratur. Porro, s. 6 c. 6, legitur : «... dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, h. e. per eam paenitentiam quam ante Baptismum agi oportet ». Controvertitur autem interpretatio verborum : (*Deum*) *tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt*. Nonnulli (ac primo quidem Contritionistae) illum amorem interpretantur actum contritionis perfectae, et statuunt hanc fuisse mentem Concilii, ut explicaret omnem seriem actuum qui operari possunt ad I^am^ iustificationem, sive in Sacramento Baptismi, sive etiam extra Sacramentum; inter quos profecto actus, omittendus non fuit actus contritionis perfectae, qui solus iustificat extra Sacramentum. Ita Palmieri, *De Paen.*, 335; Pesch, *Prael, Dogm.*, t. 5, a. 358. Verum eiusmodi interpretatio aperte pugnat cum contextu, unde manifestum fit Concilium primo ac per se respicere iustificationem quae fit in Sacramento, ut constat ex c. 7. Quod autem iustificatio aliquando fiat ante susceptionem Sacramenti, id se habet per accidens ad universalem processum iustificationis, qui ibi describitur; cf. quae ab eodem Concilio dicuntur de iustificatione in Sacramento Paenitentiae aut ante illud Sacramentum, s. 14, c. 4. Ceterum omnem controversiam dirimunt *Acta genuina Concilii,* ed. Goerres., t. 5, ubi, ad diem 31 oct. 1546, legitur de rationibus ad c. 6 spectantibus, p. 520, l. 8-13 : « Falsum videbatur quibusdam, quod ultra paenitentiam requiratur alia motio caritatis. Non est sermo eo loco de habitu caritatis; sed cum in particula, quae loquitur de paenitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide et spe iungere aliquem dilectionis actum, quia, si paenitentia tota esset ex timore sine amore iustitiae, et dolor esset propter poenam tantum et non propter Dei offensam, infructuosa esset ». Habitui autem caritatis suus locus servatur inter habitus in ipsa iustificatione infusos, de quibus c. 7, *DB.*, 800 : « ... in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum cui

inscritur, fidem, spem et caritatem ». Unde etiam, inter animadversiones in illud c. 7 factas legitur in *Actis*, eadem pagina 520, l. 39-44 : « Advertendum dixere quidam quod caritas posita est tanquam praeparatoria. Caritas hoc loco pro habitu sumitur. Praeparat autem *non habitus neque actus procedens ab habitu, sed actus aliquis dilectionis iustitiae, non quam homo habet, sed quam habere cupit.* Ut enim Augustinus ait, *De Praedestinatione Sanctorum* c. 7 (12, *PL.*, 44, 969-70), aliquam fuisse fidem Cornelii orantis et eleemosynas dantis quae non iustificabat, ita aliqua est dilectio quae non est hominis iustificati, sed esurientis iustitiam. » Ex his plane illustratur natura illius dilectionis erga Deum omnis iustitiae fontem, quae in nullo processu iustificationis deesse potest et praecedit natura ipsam iustitiam. Ad abundantiam, cf. quae Rob. Vauchop, archiepiscopus Armacanus, in Concilio frustra contendit, 8 jan. 1547, *Acta*, p. 764, 9-14, ac denuo 11 ian., p. 780, 15-782, 3. Iam 9 oct. 1546, in Cong. generali sententiam dixerat Dom. Soto, O. P., *Acta*, p. 491, 16-17 : « Ubi dicitur quod requiritur ultra paenitentiam alia motio caritatis ad iustificationem, hoc videtur sibi falsum. » — Ita interpretantur decretum Tridentinum, inter multos alios, Dom. Soto, O. P., *De Natura et Gratia*, 2, 16, p. 104-5; And. Vega, O. M., *De Iustificatione*, 6, 35, p. 118 (hi duo clari theologi sessioni 6^ae^ Concilii Trid. interfuerant et in eo insignes partes egerant); praeter hos, I. M. de Ripalda, S. I., *De ente supernaturali*, L. 6, *Disp.* 132, S. 33, n. 475, ed. Lugduni 1645, t. 2, p. 777 B; Billot, *De gratia Christi*, thes. 17, p. 237, Prati, 1912; Galtier, *thes.* 25, n. 399, p. 306. — Conferri potest Pallavicini, *Hist. Conc. Trid.*, 8, 13, 13, tr. fr., ed. Migne, t. 2, p. 273.

De attritione formidolosa in Sacramento Paenitentiae, actum est ante sess. 14. Vide *Acta*.

Ut mentio dilectionis poneretur, instabant imprimis Petrus Guerrero, ep. Granatensis, et Ioannes de S. Millan, ep. Tudensis. In schemate proposito Patribus 16 nov. 1551, legebatur : « ... Illam vero contritionem quam theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit.., declarat non solum non facere hypocritam.., verum etiam [sufficere ad Sacramenti huius constitutionem, ac] donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis, sed

tantum moventis, quo paenitens adiutus cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat], viam sibi ad iustitiam munit, et per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur ». Expuncta sunt verba quae uncis inclusimus, non propter aliquod vitium in eis notatum, sed ne tangerentur quaestiones inter theologos catholicos agitatae: nam Concilium solos haereticorum errores damnare decreverat. — Cf. Pallavicini, 12, 10, 25-26, p. 641-2.

IV. *Ratione theologica.* — a) Ille actus honestus est, quo homo et a voluntate peccandi retrahitur, nec ad ullum malum inclinatur. — b) Ille actus merito dicitur salutaris, quo homo efficaciter inclinatur ad prosecutionem summi Boni. Atqui ita est actus timoris quem homo, adspirante Dei gratia, ponit, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae. Nam si perseveraverit tendere in illam partem in quam inclinatur, potietur bono salutis.

S. Thomas, 2.2, q. 19 a. 4 : « Utrum timor servilis sit bonus. - R.d.q. timor servilis ex parte servilitatis habet quod sit malus : servitus enim libertati opponitur. Unde, cum liber sit « qui causa sui est », ... servus est qui non causa sui operatur, sed quasi ab extrinseco motus. Quicumque autem ex amore aliquid facit, quasi ex seipso operatur, quia ex propria inclinatione movetur ad operandum. Et ideo contra rationem servilitatis est, quod aliquis ex amore operetur. Sic ergo timor servilis, inquantum servilis est, caritati contrariatur. Si ergo servilitas esset de ratione timoris servilis, oporteret quod timor servilis simpliciter esset malus... Sed praedicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis. Species enim moralis habitus vel actus ex obiecto accipitur. Obiectum autem timoris servilis est poena : cui accidit quod bonum, cui contrariatur poena, ametur tanquam finis ultimus, et per consequens poena timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente caritatem; vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, et per consequens poena non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente caritatem. Non enim tollitur species habitus per hoc quod eius obiectum vel finis ordinatur ad ulteriorem finem. Et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas eius est mala. » - Cf. *In 4 d.*, 50, q. 2 a. 1 sol. 2.

Aliter : servilitas non est in actu timoris aliquid positivi, sed defectus quidam libertatis ingenitae. Talis actus manet ultra ordinabilis aut ad finem peccati, et sic homo fit servus cupiditatis suae et ponit actum simpliciter malum; — aut ad finem salutis aeternae, et sic homo liberatur a cupiditate sua ac ponit actum simpliciter bonum, siquidem « Servire Deo regnare est. »

Unde actus timoris honesti reducitur quodam modo ad caritatem, iuxta I-2, q. 113 a. 5 ad 1^m : « Ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum et refugere aliud; et ideo, sicut ad caritatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quae anima separatur a Deo. » Cf. 3^a, q. 85 a. 3 ad 4^m : « Paenitentia, licet sit directe species iustitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad omnes virtutes : in quantum enim est iustitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologicarum, quae habent Deum pro obiecto. Unde paenitentia est cum fide passionis Christi, per quam iustificamur a peccatis, et cum spe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem... » — Hinc habes unde interpreteris locum S. Thomae recitatum supra in thes. V, 3, q. 85 a. 5, in quo occurrit eadem ambiguitas quam in capite Tridentino s. 6, 6. offendimus. Recenset enim Angelicus Doctor actus quibus homo paenitens cooperatur Deo ad iustitiam, et inter illos ponit 5^o loco actum caritatis. Ambigi potest num intellexerit actum caritatis perfectae, an actum amoris lato sensu, qui reduci potest ad genus caritatis. Si prius, dicendus erit illo loco proposuisse omnem seriem actuum qui operari possunt ad 2^um iustificationem, inter quos profecto numerandus est actus caritatis perfectae reconcilians hominem ante Sacramentum Paenitentiae. Si posterius, dicendus erit illo loco intellexisse illum amorem quo Deus tanquam fons omnis iustitiae diligitur ante iustificationem. Hoc posterius sequitur ipse Palmieri, *Paen.*, p. 322. Cf. etiam Billot, *De gratia*, p. 237; ubi remittit legentem ad S. Th., *In 3 d.*, 26, q. 2 a. 3 q. 2 ad 3^m : « Accipitur amor large pro amore imperfecto, quod est desiderium, quod est primus motus appetitivae virtutis; desiderium autem non sufficit ad formandos actus virtutum. » — 2^a 2^ae, q. 17 a. 8 ad 2^m : « Spes et omnis motus appetitivus ex amore provenit aliquo, quo sc. aliquis amat bonum expectatum. Sed non

omnis spes provenit a caritate, sed solum motus spei formatae, qua sc. aliquis sperat bonum a Deo ut ab amico. » q. 19, a. 10 : « Utrum, crescente caritate, diminuatur timor. »

B. *Contritio formidolosa proxime disponit hominem ad iustificationem in Sacramento.*

Tota lis est de verbo *proxime,* cum quibusdam theologis catholicis.

Arg. I, *quasi a priori,* ex institutione Sacramenti. — Sane, potestas a Christo concessa ministris NT[i] est aliquid novum, quo VT caruit. Atqui non potest assignari illud novum ac proprium NT[i], si ad iustificationem in Sacramento non sufficit contritio pure formidolosa, modo honesta. Sequitur enim semper requiri contritionem perfectam, non secus ac sub VT.

Adde paritatem rationis cum Baptismo, qui ex opere operato iustificat non ponentes obicem. Cf. Augustinus, *Ep.*, 98, 10, *Ad Bonifacium, PL.,* 33, 364; *Conc. Trid.*, s. 7, *De Sacramentis in genere,* can. 6. *DB.,* 849 (attende numerum pluralem : « Si quis dixerit Sacramenta NL non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre,... A. S. »).

Arg. II. *Ex perpetuo sensu Ecclesiae.* — Ecclesia peccatores attritos in morte absolvi semper voluit, et ingens animarum detrimentum censuit si qui, propter ministri inopiam, carerent absolutione. Ergo iudicavit homines et absolutionis esse capaces, et aliquid consequi vi ipsius absolutionis. Cyprianus, *Ep.,* 68, 3, *Ad Stephanum P.R.,* p. 725, 20 sq. — Augustinus, *Ep.,* 228, 8, *Ad Honoratum eppum, PL.,* 33, 1016; *In 1 Io., Tr.,* 9, 4, *PL.,* 35, 2047. — Caelestinus, P. R., *Ad eppos prov. Viennensis et Narbonensis,* 26 iul. 428, *PL.,* 50, 1312, *DB.,* 111.

Arg. III. *Ex Conc. Tridentino et aliis documentis ecclesiasticis.* — Conc. Tridentinum, etsi quaestionem in scholis catholicis agitatam dirimere noluit, satis declaravit sensum Ecclesiae. Attende maxime s. 14 c. 1 et 4, *DB.,* 894 et 898; can. 3.5.9, *DB.,* 913.915.919, praesupposita thesi VI[a]. Quod si « absolutio sacramentalis sacerdotis est actus iudicialis, non nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata », ergo *aliquando* homo iustificatur in Sacramento. Et sane, ita fieri in Sacramento Paenitentiae — quod est « sacramen-

tum mortuorum ». [illegible]fert communis persuasio populi christiani. Sed perfecte contritus iustificatur etiam ante Sacramentum. Superest ut in Sacramento iustificetur attritus tantum.

Quod autem absolutio detur iam iustificato per contritionem perfectam, id quidem per accidens fit, spectata ratione Sacramenti. Et hic modus convenientissimus est, perveniendi ad iustitiam ex opere operantis, ita ut iustitia non in ipso Sacramento acquiratur, sed acquisita sigilletur.

Quod si, stante controversia de partibus quae dilectioni assignantur in processu iustificationis, Concilium definire noluit attritionem formidolosam sufficere in Sacramento, cui sententiae multi favebant, id nullum praeiudicium creat contra veritatem illius sententiae.

Accessit iudicium Pii V (1 oct. 1567) damnantis prop. Baii 58. DB., 1058. — *Catechismus Tridentinus*, p. 2. *De paen.*, 26, ed. Tornaci, 1890, p. 220.

Arg. IV. *Ex doctrina theologorum.* — S. Thomas, 2ª 2ae, q. 19 a. 8 ad 1m : « Timor qui est initium dilectionis, est timor servilis, qui introducit caritatem sicut seta introducit linum, ut Augustinus dicit (*In 1 Io., Tr.*, 9). Vel, si hoc referatur ad timorem initialem, dicitur esse dilectionis initium non absolute, sed quantum ad statum caritatis perfectae. » — 3ª, q. 80 a. 4 ad 2m (de ss. Eucharistia) : « ... Non quaelibet medicina competit secundum quemlibet statum infirmitatis; nam medicina quae datur iam liberatis a febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam Baptismus et Paenitentia sunt quasi medicinae purgativae, quae dantur ad tollendam febrem peccati; hoc sacramentum est medicina confortativa, quae non debet dari nisi liberatis a peccato. » Cf. q. 79 a. 3. — q. 84 a. 3 : « ... Hoc sacramentum, sc. Paenitentiae, usu consistit in consecratione alicuius materiae nec in usu alicuius materiae sanctificatae, sed magis in remotione cuiusdam materiae, sc. peccati, prout peccata dicuntur esse materia paenitentiae... Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : *Ego te absolvo*... Unde patet quod haec est convenientissima forma huius sacramenti : *Ego te absolvo*. » — *In 4 d.*, 17 q. 1 a. 3 sol. 1 : « ... Potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpae, non sicut causans, sed sicut disponens ad eam. Unde, si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gra-

tiam suscipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret... » *In 4 d.*, 22 q. 2 a. 1, etc. — Ex his et similibus locis colligitur Sacramentum Paenitentiae operari non tantum in hominibus iam iustificatis per contritionem perfectam, sed etiam in hominibus indigentibus iustificatione; ut autem operetur, sufficere ut homo non ponat obicem, sed deponat affectum peccandi, quod fit per attritionem.

Similiter Scotus, *In 4 d.*, 14 q. 5 a. 3, ed. Paris., 1894, t. 18, p. 158.

Haec sententia est Thomistarum longe plurimorum et Scotistarum omnium. Melchior Canus, *Relectiones de Paenitentia*, p. 6, ed. Bassani 1776, p. 409; Suarez, *Disp.*, 20 s. 1 n. 9, ed. Paris, 1866, t. 22, p. 423 B, censet « hanc sententiam omnino veram esse »; Lugo, *Disp.*, 7 s. 13 n. 273, iudicat « oppositam non probabilem post Conc. Tridentinum »: S. Alphonsus, *T.M.*, 6, 440, ait hanc « fere communem ».

Verumtamen de quaestione quam Tridentinum dirimere noluerat — qualis dilectio Dei in Sacramento necessaria. — acres controversiae postea exortae sunt, et censurae theologicae ultro citroque iactatae. Vide in *DTC.*, art. *Attrition* (A. Beugnet, 1903). Decretum Tridentinum rigide interpretatus erat Launoy, *De mente Concilii Tridentini circa contritionem et attritionem in Sacramento Paenitentiae*, Paris, 1653 (in Indicem relatus, 13 nov. 1691). E contritionistis, nominandi sunt : Christianus Lupus (Wolf), O. S. A., *Dissertatio dogmatica de germano et avito sensu SS. Patrum, universae semper Ecclesiae ac sacrosanctae praesertim Tridentinae Synodi circa christianam contritionem et attritionem*. Lovanii. 1666; *Epistola familiaris ad P. H. Noris*, Lovanii 1667; Franciscus Farvacques, O. S. A., *Quaestio quodlibetica de attritione, seu quae fuerit mens Conc. Tridentini de sufficientia attritionis servilis in Sacramento Paenitentiae*. Lovanii. 1666. — E castris oppositis, Maximilianus Le Dent, S. I., *De attritione ex metu gehennae eiusque cum Sacramento Paenitentiae sufficientia, iuxta mentem S. Conc. Tridentini, adv. Christiani Lupi dissertationem dogmaticam et quaestionem quodlibeticam F. Farvacques*. Mechliniae. 1667. *Ad Epistolam familiarem... Responsio*, ib., 1667. — Re Romam delata, Alexander VII. decreto S. Officii dato 5 mai. 1667, iussit

utramque partem abstinere maledicto. *DB.*, 1146 : « Non audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione ex metu gehennae conceptae, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum. » Iudicio Benedicti XIV. *De Synod. dioec.*, 7. 13, 7-9, ap. Migne, *TCC.*, 25. 1064-6. « adhuc sub iudice lis est ». Ergo utraque pars libere defenditur.

Nos ita defendimus ad iustificationem in Sacramento sufficere attritionem formidolosam simpliciter servilem — non serviliter servilem, — ut plane meminerimus impellendos esse atque adducendos, quantum fieri poterit, fideles ad veram contritionem ex puro Dei amore conceptam, siquidem in illa re omnino tenendum illud Apostoli (*1 Cor.*, 12, 31) : « Aemulamini autem charismata meliora ».

Scholion. – *Quid sit « fieri ex attrito contritum »*.

Quaestio orta ex assertis veterum Scholasticorum, qui contritionem ab attritione solo gradu distinguere solebant (vide prolegomena ad thes. VII. Hoc admisso, intellegi potest attritionem ita intendi ut crescendo perveniat ad gradum contritionis (vide ibid., auctoritatem S. Bonaventurae. *In 4 d.*, 17 p. 2 a. 1 q. 4). Sed huic modo loquendi obstat S. Thomas, *In 4 d.*, 17 q. 2 a. 1 sol. 3 : « Videtur quod attritio possit fieri contritio. – Super hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. Sed hoc, ut videtur, non potest esse : quia, quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis, fit actus fidei formatae : quia actus ille informis transit et non manet veniente caritate. Attritio autem et contritio non dicunt habitum, sed actum tantum : habitus enim virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum caritatem consequantur ut dictum est (*In 3 d.*, 23 q. 3 a. 1 qc. 1). Unde, antequam gratia infundatur, non est habitus a quo actus contritionis postea eliciatur; et sic nullo modo attritio potest fieri contritio. » Cf. quae universim disputat de infusione virtutum moralium, 1. 2 q. 65 a. 2; praeterea, *De Verit.*, q. 28 a. 8.

Bene vero potest homo de attrito fieri contritus, superveniente caritate; id quidem fit dupliciter : 1) Extra Sacramentum, si homo, divina gratia adiutus, superet illum gradum infimum attritionis, ita ut eliciat actum contritionis perfectae: in quo actu accipiet donum gratiae sanctificantis et virtutes infusas; 2 In ipso Sacramento, si homo attritus iustificetur vi absolutionis et accipiat habitum caritatis ante actum ipsius.

Id non recte explicant Scotus, *In 4 d.*, 14 q. 2, et Caietanus, cum in *Opusc. de Attritione et Contritione*, tum etiam *In* 3, q. 84 a. 1; contra quos recte Melchior Canus, *Relect. de Paenit.*, p. 3, ed. Bassani 1776, p. 369 B : « Est autem certum quod actus elicitus ab habitu infuso distinguitur omnino a quocumque alio qui ex puris naturalibus haberi potest, ut actus elicitus a caritate infusa a quocumque alio amore qui citra caritatem elicitur. » Gonetus, *Clypeus thomist., De Paen., Disp.* 7 a. 2 n. 20, ed. Antverp., 1725, t. 5. p. 354 B : « Actus qui diversa obiecta formalia respiciunt, distinguuntur essentialiter. Sed contritio et attritio respiciunt diversa obiecta formalia. Ergo. — Prob. minor. Obiectum formale contritionis est peccatum sub ratione formali iniuriae Deo illatae; obiectum vero attritionis est idem obiectum sub ratione formali mali ipsius peccatoris ».

CAPUT III

DE CONFESSIONE

THESIS VIII.

Ex iure divino requiritur omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptisma admissorum integra apud sacerdotem confessio.

Prolegomena.

1. Asserimus confessionem peccatorum iure institutam, non ambitione sacerdotum inductam, ut multis Protestantibus placuit. Inter quos nominari possunt Daillé, *Disputatio de sacramentali sive auriculari Latinorum Confessione*, Genevae, 1661; C. Lea, *A History of auricular Confession and Indulgencies in the latin Church.* 3 vol., 8°, Philadelphiae, 1896; Herzog, *Die obligatorische römische Ohrenbeichte, eine menschliche Erfindung,* 1901. — Apud recentiores autem Protestantes, illud commentum passim retractatur, et apud Anglicanos maxime auricularis confessio commendatur, ad bonum animarum. Vide Caspari, in *REPTK*[3], t. 2, p. 534; K. Müller, in recensione operis Lea, *TLZ.,* 1897, p. 464; K. Holl, *Enthusiasmus und Bussgewalt,* p. 244.245.249.250. 257, Leipzig, 1898; E. Fischer, *Zur Geschichte der evangelischen Beichte,* 2 in. 8, Leipzig, 1902.1903.

2. Peccatum universim est actus humanus contra legem Dei. De cuius ratione, cf. 1ª 2ae, q. 71-89. Mortalia peccata intelleguntur quae privant hominem gratia sanctificante seu amicitia Dei, et reum faciunt aeternae damnationis, nisi paeniteat. Posito enim actu, manet reatus; quod est peccatum habituale. Asserimus pertinere ad institutionem Christi, ut omnia et singula peccata mortalia deferantur ad iudicium sacerdotale; quo iudicio expendi oporteat uniuscuiusque

hominis christiani causam, i. e. peccata, contritionem, propositum, modum satisfactionis imponendae, tempus reconciliationis. De his omnibus, leges conditae sunt paulatim, cum initio plurimum commissum esset prudentiae et arbitrio sacerdotum. A confessione privata, apud sacerdotem facta, sedulo distingue publicam exomologesim sive paenitentiam, de maioribus peccatis actam coram Ecclesia. — Alia est quaestio de confessione, alia de sigillo confessionis, quae tangetur infra.

3. Institutio confessionis non ita nova est ut non appareat adumbrata iam in VT. Cf. *DTC.*, t. 3, 828-831 (Mangenot). Ad ius naturae pertinet ut omnis homo peccata sua confiteatur ac detestetur coram Deo. Confessio Adam et Evae, *Gen.*, 3, 9-13. Negationem Cain consequitur maledictio Dei, *Gen.*, 4, 9-14. Pharaon confitetur se erga Deum et Israel peccasse, *Ex.*, 9, 27; 10, 16. Confessio Saul, *1 Sam.*, 15, 20.24.25; David, *2 Sam.*, 24, 10.17; *1 Par.*, 21, 8.17. Confessio sollemnis totius Israel die Expiationis, *Lev.*, 16. Etiam pro certis quibusdam peccatis praecipiebatur in Lege Moysi distincta apud sacerdotem confessio, *Lev.*, 4.5; *Num.*, 15, 22-29, etc. Ioannes Baptista adegit homines ad quandam confessionem peccatorum, *Mt.*, 3, 6; *Mc.*, 1, 5; *Lc.*, 3.7-16; quae qualis fuerit, varie disputant Patres. Vide Tertullianum, *Bapt.*, 20; Cyrillum Hier., *Catech.*, 3, 7, *PG.*, 33, 437. De confessione Baptismo christiano praemitti solita, cf. Tertull., *ibid.* : « Nobis gratulandum est si non publice confiteamur iniquitates aut turpitudines nostras ». Ita veteres editiones, quae solae nituntur fide codicum manuscriptorum, iam non superstitum. Recentiores editores nonnulli emendarunt, ita ut, pro *non*, legerent *nunc;* quod nullo solido argumento fulcitur. Vide nostram *Théologie de Tert.*, p. 332. — Cyrillus Hier., *Catech.*, 1, 5, *PG.*, 33, 376. — Ioannes Chrysost., *In Eph.*, *Hom.*, 1, 3, *PG.*, 62, 14, meminit utriusque confessionis : Τῆς ὁμολογίας ἐκείνης τῆς πρὸ τοῦ λουτροῦ — τῆς μετὰ τὸ λουτρόν.

4. Cum integritas confessionis postulatur, id intellegendum est potissimum de integritate formali, secundum propositum voluntatis. Nam materialis saepe superat hominis facultatem.

5. Vocis ἐξομολογεῖσθαι, ἐξομολόγησις — *confiteri*, *confessio* — multiplex acceptio in NT et apud Patres :

1) Dare Deo laudem debitam. *Mt.*, 10, 32; 11, 25; *Lc.*, 10, 21;

Rom., 14. 11 (*Is.*, 45. 23; 49, 18); 15, 9 (*Ps.*, 17. 50); *Phil.*, 2, 11; — Herm., *Mand.*, 10, 3, 2; *Sim.*, 2, 5.

2) Peccata sua coram Deo agnoscere. 1 Clem. R., *Cor.*, 51. 3; Herm., *Vis.*, 1, 1. 3; 3, 1, 5.6; *Sim.*, 9. 23. 4.

3) Peccata sua ore confiteri coram hominibus. *Mt.*, 3. 6; *Mc.*, 1. 5; *Act.*, 19, 18; *Iac.*, 5, 16; *1 Io.*, 1, 9. — *Did.*, 4. 14; 14, 1; *2 Clem. Cor.*, 8, 3.

4) Dare operam paenitentiae publicae coram Ecclesia. Irenaeus, *H.*, 1, 13, 5; Tertullianus, *Paen.*, 9; Cyprianus, *Laps.*, 35.

Aliae acceptiones omitti possunt. Huc spectat maxime 3., quae acceptio non semper facile discernitur a 2) et 4).

Ad historica, cf. P. Galtier, art. *Pénitence, D.A.*, t. 3, 1784-1865.

Probatur thesis — I. *Ex Scriptura.*

Instituto Sacramento Paenitentiae sub forma iudicii sacerdotalis (thes. I), ipsa res postulabat ut qui illo remedio indigeret, staret in iudicio testis contra se, ut qui solus illas partes agere posset. Quod autem ita factum sit ab initio Ecclesiae, non desunt indicia, quae adversus novatores saec. XVI apologetae catholici sedulo collegerunt. — Cf. Bellarminum, *De Paenit.*, l. 3. c. 4.

1° *Act.*, 19, 18 : Πολλοί τε τῶν πεπιστευκότων ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.

Narrantur res gestae postquam daemoniacus quidam Ephesi, quem Iudaei exorcistae exorcizare tentaverant in nomine Iesu, plagis eos affecit : quo viso, non pauci artibus magicis valedixerunt et libros magicos igni tradiderunt. E credentibus autem multi confitebantur res a se gestas. Quaeritur qualis fuerit illa confessio. — Confessionem quandam peccatorum in universum intellexerunt Patres Graeci nonnulli, ut Ioannes Chrysost., *In Act., Hom.*, 41, 2, *PG.*, 60, 290; Ammonius, ap. Cramer, *Catenae PP. gr. in NT.*, t. 3. p. 319. Oxon., 1844; Oecumenius, *In Act., PG.*, 118, 252; Theophylactus, *In Act., PG.*, 125, 765 (hi fere exscripserunt Ammonium); Dionysius Carth., *In Act., Opp.*, t. 4, p. 19, Monstrolii, 1901. A saec. XVI, vestigia confessionis sacramentalis deprehendere sibi visi sunt Bellarminus, *Paen.*, l. 3. c. 4; Cornelius a Lap., *In Act.*, p. 290, Antverpiae, 1698; Calmet (?), *In Act.*, p. 779 A,

Venet., 1756; Corluy, *Spicilegium dogmaticobiblicum*, t. 2, p. 444-8. Gandavi, 1884. Addatur, e Protestantibus, H. J. Holtzmann, *Apostelgeschichte*[3], p. 122, Tübingen et Leipzig, 1902. — Multi tamen existimant illam confessionem nihil differre ab ea quam Ioannes Baptista commendabat. Ita Salmeron, *In Evangelia et Act.*, t. 49, 12, p. 330. Coloniae, 1614; Estius, *Annot. in praecipua... S. Scripturae loca*, p. 601, Paris, 1663; Patrizi, *In Act.*, Romae, 1867; Van Steenkiste, *Actus Apostolorum breviter expositi*[4], p. 282-3, Brugis, 1882. Communior nunc opinio fert illam confessionem fuisse christianorum, non tamen sacramentalem. Ita Cock, London, 1866; B. Weiss, Leipzig, 1893; Blass, Göttingen, 1893; — e catholicis, Knabenbauer, Paris, 1899; Fillion, Paris, 1901; Le Camus, Paris, 1905. Sane τῶν πεπιστευκότων videtur respicere baptizatos, coll. 2, 44; 4, 32; 5, 14; 15,5; 21, 20.25: *Eph.*, 1, 19. — Dubium tamen moveri potest ex 11, 21: 18, 8. Videntur distingui ab illis Iudaeis et Gentilibus, de quibus 19. 17. Apparet autem multos etiam tum fuisse magiae deditos : quod de dudum baptizatis minus credibile est : unde verisimile fit eos in ipso actu libros magicos igni tradidisse. — Omnibus perpensis, confessionem fuisse christianorum post Baptismum factam non plane liquet.

2° *Iac.*, 5, 16 : Ἐξομολογεῖσθε οὖν ἀλλήλοις τὰς ἁμαρτίας, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε. Πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη.

Scriptores ecclesiastici veteres plerique aut locum omiserunt aut de oratione christianorum pro fratribus interpretati sunt. At iudicium sacramentale in eo viderunt Origenes, *In Lev., H.*, 3, *PG.*, 12, 418.9; Chrysostomus, *De Sacerdot.*, 3, 6, *PG.*, 48, 644; Anastasius Sinaita, *Q.* 6, *PG.*, 89, 373 B. Aliter Cassiodorus, *In Ep. Iacobi*, 11, *PL.*, 70, 1380; Oecumenius, *PG.*, 119, 508; Theophylactus, *PG.*, 125, 1188. In Ecclesia latina, post saec. VIII, plerumque acceptus est de confessione sacramentali : Beda, *In Iac.*, 5, *PL.*, 93, 39-40; Walafr. Strabo, *Gloss. ord.*, *PL.*, 114, 679; Alcuinus, *Ep.*, 112, *PL.*, 100, 308; *Concil. Cabilonense* ann. 813, can. 33; Mansi, 14, 100. Saec. XII, diversa interpretatio : exhortationem tantum intellegunt Abaelardus, Rolandus, Gratianus, Petrus Pictaviensis..., plures tamen confessionem sacramentalem : Hugo Victorinus, Lombardus, Ricardus Victorinus, Alexander Alen-

sis, Albertus M., Raymundus de Penafort, Ricardus de Media Villa, Bonaventura, Thomas Aq., *In 4 d.*, 17, q. 3 a. 2 ad 1^m^, Scotus, Durandus..., Bellarmimus, Morinus. — *Conc. Tridentinum*, s. 14 c. 1, *De instit. Sacramenti Extremae Unctionis*, authentice interpretatum est *Iac.*, 14.15 de unctione infirmorum; de 16, manet dubium. Sane ἀλλήλοις non distincte signat sacerdotes; neque contextus distincte spectat hierarchiam : δέησις δικαίου. Non tamen necessario tollitur discrimen populi et hierarchiae, cf. *Eph.*, 5, 21 . ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις ἐν φόβῳ Χριστοῦ. — Ad evincendum clare praeceptum confessionis sacramentalis, locus non sufficit.

3° *1 Io.*, 1, 9 : Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, πιστός ἐστιν καὶ δίκαιος, ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας καὶ καθαρίσῃ ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀδικίας.

Haec plerique Patres acceperunt de confessione peccati Deo facta, non apud hominem. Augustinus, *In Ep. Ioan. ad Parthos, Tr.*, 1, 6, *PL.*, 35, 1982; Cassiodorus, *Complexiones in Ep. Io.*, 2, *PL.*, 70, 1371; Beda, *PL.*, 92, 88; Oecumenius, *PG.*, 119, 628, coll. *Is.*, 43, 26; Theophylactus, *PG.*, 126, 17; Patres apud Cramer, *Cat.*, 8, p. 118, Oxford 1844. Scotus, *In 4 d.*, 17, n. 16, censet universim commendari demissionem sui. Nicolas de Gorham, *Exp. in VII Epp. canon.* (inter Opp. S. Thomae), comprehendi etiam aliquam confessionem ore factam. Dionysius Carth., *Opp.*, t. 14, p. 9.10, Monstrol. 1901, mentionem fieri confessionis; non addit : sacramentalis. A saec. XVII, non pauci locum de confessione sacramentali exposuerunt. Bellarminus, *Paen.*, 3, 4; Estius; Calmet; Drach, *Epp. catholiques*, p. 177, Paris, 1879; Van Steenkiste, *Epp. canonicae breviter explicatae*[2], p. 131, Brugis, 1887; Maunoury, *Comm. Ep. cathol.*, p. 344, Paris, 1888. Alii negant ita expressum esse locum ut inde confirmari possit necessitas confessionis sacerdoti faciendae. Ita anglicanus Westcott, *The Epistles of S. John*, p. 23, London 1883; catholici Fillion, *Ste Bible*, t. 8, p. 728, Paris, 1904; Calmes, *Epp. cathol.*, p. 70, Paris, 1905. Sane contextus distinctius signat propriae culpae coram Deo agnitionem. Cf. *Lc.*, 18, 13-14, coll. *Ps.*, 31, 1-2.

Omnibus perpensis, dicamus ex illis locis qui afferuntur, praeter documenta institutionis, *Mt.*, 16, 19; 18, 15-18; *Io.*, 20, 23, confirmari utique aliquam peccatorum remissionem post Baptismum; sed non ita diserte necessitatem alicuius

confessionis omnium peccatorum post Baptismum apud sacerdotem instituendae.

II. *Ex Patribus et perpetua Ecclesiae disciplina.*

Ne quid consulto praetermissum videatur, afferemus etiam quaedam dicta dubiae aut controversae interpretationis.

Did., 4, 14; 14, 1. — Cf. Bainvel, *RPA*, 1 janv. 1910, p. 532; *RSR.*, 1920, p. 212-224 (probabilis coniectura).

Barnab., 19, 12.

Clem., 1 *Cor.*, 50; 51, 3; coll. 57, 1.2.

Ignatius, *Philad.*, 3, 2; 8, 1.

Polycarpus, *Philip.*, 6, 1.2.

2 *Clem.*, *Cor.*, 8, 2.3.

Hermas, *Vis.*, 1, 1, 3; 3, 1, 5.6; *Mand.*, 10, 3, 2; *Sim.*, 9, 23, 4, respicit primo confessionem Deo faciendam. — Apud cum primo occurrit mentio exomologesis sub moderamine Ecclesiae instituendae, *Mand.*, 4, 3. 6, coll. 4, 1. 8.

Irenaeus, *H.*, 1, 6, 3, *PG.*, 7, 508 B; 1, 13, 5.7. 588 B. 592 A; 3, 4, 3, 856 B-857 A.

Tertullianus, *Paen.*, 9.10; *Praescr.*, 30; *Pud.*, 1.

Callistus, P. R., auctore Tertulliano, *Pud.*, 1. 21.

Origenes, *In Lev.*, *H.*, 2, 4, *PG.*, 12, 418 B : « Septima, licet dura et laboriosa, per paenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam, secundum (*Ps.*, 31.5). » *H.*, 3, 4, 429 A : « Ipse (diabolus) nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus accusat. Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus. » *H.*, 15, 2, 561 A : « In gravioribus enim criminibus semel tantum paenitentiae conceditur locus; ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper paenitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur. » *In Num.*, *H.*, 10, 1, *PG.*, 12, 638 A : « Sanctus est enim qui peccatum suum per pontificem curat. » *In Ps.*, 36, 5, *H.*, 1, 5, *PG.*, 12, 1328 AB. *In Ps.*, 37, *H.*, 1, 1, 1372 : « Omnes episcopi atque omnes presbyteri vel diaconi erudiunt nos, et erudientes adhibent correptiones et verbis austerioribus increpant. Est autem quando erudimur etiam a procuratoribus et actoribus, i. e. ab his

angelis quibus creditae sunt dispensandae et regendae animae nostrae : quemadmodum describitur in quodam loco angelus paenitentiae, qui nos suscipit castigandos, sicut Pastor exponit, si cui tamen libellus ille recipiendus videtur. Interim diversis eruditionibus succumbimus, nos homines castigantibus, nos et corripientibus; nondum tamen ab ipso Patrefamilias castigamur, sed a procuratoribus angelis, qui uniuscuiusque nostri castigandi atque emendandi sortiuntur officium, et est tolerabilius cum ab aliquo horum corripimur. » *H.*, 2, 6. 1386 AB : « Hi qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam : ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris, si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. » *In Lc.* (2, 35), *H.*, 17, *PG.*, 13, 1845 C-1846 A : « Cogitationes erant malae in hominibus, quae propterea revelatae sunt ut prolatae in medium perderentur, et interfectae atque emortuae esse desinerent, et occideret eas ille qui pro nobis mortuus est : quandiu enim absconditae erant cogitationes nec prolatae in medium, impossibile erat eas penitus interfici. Unde et nos, si peccaverimus, debemus dicere (*Ps.*, 31, 5). Si enim hoc feceri mus et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui ait (*Is.*, 44, 22). »

Cyprianus, *Laps.*, 16, p. 248, 20-25 : « Ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori eius et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt quam cum Domi-

num negaverunt. » 28, p. 257, 20-258, 1 : « Quanto et fide maiore et timore meliore sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes exomologesim conscientiae faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medellam parvis licet et modicis vulneribus exquirant, scientes scriptum esse : Deus non deridetur. » 29, p. 258, 17-20 : « Confiteantur singuli, quaeso vos, Fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio et remissio per sacerdotes apud Dominum grata est. » *Ep.*, 55, 29, p. 647, 7-15 : « Quod si invenimus a paenitentia agenda neminem debere prohiberi et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam secundum quod ille misericors et pius est per sacerdotes eius pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus et paenitentiae fructus dolentibus non negandus, et quia apud inferos confessio non est nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde paenituerint et rogaverint, in Ecclesiam debent interim suscipi et in ipsa Domino reservari. » — Nec deest exemplum exomologesis apud diaconum ex necessitate factae; *Ep.*, 18, 1, 523, 19 sq-524, 8 : « Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a martyribus acceperunt et praerogativa eorum apud Deum adiuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque, vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in paenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt. » — Cf. infr., *canon. Illiberit.*

Ps. Cyprianus, *Ad Novatianum*, 14, p. 65, 1-11 : « O te impium scelestumque, haeretice Novatiane, qui post tot et tanta in Ecclesia a quibusdam retro voluntarie commissa crimina, quae et tu ipse in domo Dei priusquam apostata esses cognoveras et haec posse aboleri de memoria succedente bono utique docueras secundum fidem Scripturae (*Ez.*, 18, 21)..., tu hodie retractas an debeant lapsorum curari vulnera qui nudati a diabolo ceciderunt. » — Cf. 18.

Concilium Illiberitanum (circa 305), can. 32, Mansi, 2,

11 : « Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit.. placuit agere paenitentiam non debere, sed potius apud episcopum ; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterum communicationem praestare debere, et diaconum si ei iusserit sacerdos. »

Lactantius, *Div. Inst.*, 4, 17. *PL.*, 6, 501 B : « Volens enim vitae ac saluti nostrae pro aeterna sua pietate consulere, paenitentiam nobis in illa circumcisione proposuit, ut si cor nudaverimus, i. e. si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur ; quae contumacibus et admissa sua celantibus denegatur ab eo qui non faciem, sicut homo, sed intima et arcana pectoris intuetur. » 4, 30, 543 A-544 A : « Quia singuli coetus haereticorum se potissimum christianos et suam esse catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram in qua est confessio et paenitentia, quae peccata et vulnera, quibus subiecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. » — Agi de confessione apud homines facienda, apparet : 1) ex collatione cum ritu externo circumcisionis ; 2) ex eo quod proponitur tanquam nota externa et visibilis Ecclesiae.

Marcellus Pontifex (304-9)presbyteros « paenitentiarios » Romae constituit, teste Libro Pontificali, ed. Duchesne, t. 1, p. 75 : « XXV titulos in [Urbe] Romə constituit quasi dioecesis propter Baptismum et Paenitentiam et sepulturas martyrum. » cf. ed. 2, p. 164. — Batiffol, *L'Origine des prêtres pénitenciers, RCF.*, t. 42, p. 449-456 (1905), contra Vacandard, ibid., p. 301-386, recte ostendit ministerium non solius Baptismi, sed etiam Paenitentiae II[ae] illis presbyteris esse commissum. cf. id., *Etudes*[6]..., *Excursus B*, p. 329-335 (1920).

Gregorius Nazianzenus, *Or.*, 16, 17. 18, *PG.*, 35, 937 BC, peccata populi sui confitetur tanquam sua. *Or.*, 32, 30, *PG.*, 36, 209 A, commendat distinctam confessionem eiusque salubrem pudorem.

Basilius, *Ep.*, 188 (canon., 1), 5, *PG.*, 32, 674 B ; 14, 682 C ; *Ep.*, 217 (can., 3), 51, 796 A ; 74, 804 A, rectam paenitentiae administrationem exprimit, in confessione peccatorum fundatam. *In Is.*, 9, 230, *PG.*, 30, 521 A. — Regulae fusius tractatae, 26, *PG.*, 31, 985 D ; *Reg. brevius tract.*, 229, ib., 1236 A ; 288, 1285 A, ad origines confessionis monasticae spectat. — *Ibid.*, 110, 1157 A.

Gregorius Nyss., *Ep. canon.*, 6, *PG.*, 45, 233 C, de confitendo furto.

Asterius Amasenus, *Hom.*, 13, *PG.*, 40, hortatur sacerdotes ut misericorditer agant cum paenitentibus, ipsi indigentes misericordia; paenitentes, ut animi sui vulnera detegant; 360 C; 369 B.

Aphraates Syrus, *Dem.*, 7, 3. 4, *PS.*, 1, 318-9 : « Non enim virum in proelio vulneratum sapienti medico se committere piget, eo quod in pugna superatus ceciderit; idemque cum sanatus fuit, a rege non reicitur, sed exercitui eius iterum adnumeratur et adscribitur. Ita eum qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri illudque relinquere et paenitentiam in remedium postulare. Qui vulnus suum prodere erubescit, gangraena corripietur, totumque corpus damno inficiet; quem autem non pudet vulnus manifestare, sanabitur et ad proelium iterum descendet, dum ille qui gangraenam concepit, nec sanitati restitui neque armaturam quam deposuit iterum poterit induere. Ita prorsus ei qui in agone nostro superatus est, haec superest via sanitatem recipiendi, ut sc. dicat : Peccavi; et paenitentiam postulet. Si quis autem erubuerit, sanari non poterit, quoniam plagas suas non vult patefacere medico, qui duos denarios accepit ut per hos omnibus qui sauciati fuerint mederetur. Vos igitur, medici, qui insignis Medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est. Quicumque vobis suum vulnus detexerit, ei remedium imponite paenitentiae; eum autem qui infirmitatem suam manifestare erubuerit, ne hanc a vobis abscondat adhortamini; cumque ipsam vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpa esse iudicentur... »

Ephraem Syrus, *Ad paenit. Paraenesis*, 19, *Opp. Syr. Lat.*, t. 3, p. 448, AB, Romae 1743 : « O quanti gemitus futuri sunt, quando omnia quae in deliciis habuimus nos plane deserent, et unusquisque nudus stabit ad iudicium mox ducendus! Vae illi misero qui similis mei sua exaggeravit crimina, qui peccata commisit et celavit, ne heic dedecus sustineret, ac propterea illic in die iudicii digito monstrabitur ac per ora hominum traducetur!.. » Cf. I. Stufler, *ZSKT.*, t. 38 (1914), p. 384-390 : *Zur Busslehre des hl. Ephräm.*

Constt. Apost., 2, 16 (et *Didasc. syr.*) ed. Funk, p. 61, 12-63, 10.

Nectarius, patriarcha CPtanus circa ann. 391, propter scandalum quoddam, presbyterum in sua Ecclesia Paenitentiae praepositum sustulit, idque exemplum plerique episcopi in partibus Orientis secuti sunt. Narratur factum a Socrate. *HE.*, 5, 19, *PG.*, 67, 613 A-620 A : paulo aliter a Sozomeno. *HE.*, 7, 16, *PG.*, 67, 1457 D-1464 A. Id multi interpretati sunt, non semper vere. Manifestum est Nectarium non cum munere presbyteri paenitentiarii totam paenitentiae administrationem sustulisse. Ac videmus, paulo post, Ioannem Chrysostomum, patriarcham CPtanum (398-407), audiendis paenitentibus plurimam operam impendisse. — Cf. Tillemont. *Mém..*, t. 10, art. 66, ed. Venet. 1732, 232-4; Galtier, *DA.*, t. 3, col. 1829-1830.

Ioannes Chrysostomus saepe dictus est nescisse confessionem privatam auricularem. Ita e Protestantibus Calvinus. *Instt..*, 3, 4, 8; Daillé, *op. cit.*, p. 474-481; e Catholicis. Rauschen., tr. fr., p. 217-9; Turmel, *RCF.*, t. 49 (1907), p. 306-8. Argumenta ducuntur : 1) ex facto Nectarii ; 2) ex silentio Chrysostomi de confessione homini facienda. Nam de confessione facienda Deo, frequentissime meminit. Contra sentiunt Petau, Sirmond... Batiffol, Vacandard, Tixeront, Galtier in *DA.*, col. 1847-1861. Seorsim considerari potest 1° ministerium Chrysostomi Antiochenum ; 2° ministerium CPtanum ; 3° confessio ipsi Deo facienda. — 1° In ministerio Antiocheno, frequens mentio paenitentiae publicae, *In Eph., H.*, 3, 4, *PG.*, 62, 29; *Ad illuminandos*, 2, 2, cf. 1, 4, *PG.*, 49, 234. 228; *In S. Pentecost., H.*, 1, 6, *PG.*, 50, 463. Ceterum illa paenitentia agitur arbitrio sacerdotum, penes quos est potestas ligandi et solvendi. *De Sacerd.*, 3, 5, *PG.*, 48, 643; *In Io.*, H., 87, 4, *PG.*, 59, 471-2 ; *In illud : Vidi Dominum, H.*, 4, 5, *PG.*, 56, 126; *H.*, 5, 1, 131; *In Mt., H.*, 23, 1, *PG.*, 57, 307. Iudicium autem sacerdotale et medicina sacerdotalis nulla est erga invitos : *De Sacerd.*, 2, 3, *PG.*, 48, 634; *In 2 Cor., H.*, 14, 3, *PG.*, 61, 502; *Ep. ad Theodorum laps.*, 1, 6-7, *PG.*, 47, 284-5. — 2° Non aliter in ministerio CPtano (ab ann. 398), Chrysostomus asserit penes episcopum esse totum Paenitentiae moderamen, et in hoc Novatianis contradicit. *In Hb., H.*, 20, *PG.*, 63, 143. Modum ipsum Paenitentiae exponit *In Hb., H.*, 9, *PG.*, 63, 80-1. Haec primo quidem spectant ad scrutandam coram Deo conscientiam ; sed non ita, ut

excludatur ministerium sacerdotis. Idem ministerium asseritur, *H. Quod frequenter conveniendum*, 6, *PG.*, 63, 468. Ceterum testimonia non desunt inimicorum Chrysostomi criminantium eius in excipiendis peccatoribus et reconciliandis, etiam relapsis, facilitatem. *Acta Synod. ad Quercum* (403), Mansi, 1145 CD. Cf. Socrates, *HE.*, 6, 21, *PG.*, 67, 725 B-728 A. Igitur, ex eo quod in Homiliis CPtanis deest mentio confessionis sacerdoti factae, non sequitur eam tum non fuisse in usu. — 3° De confessione ipsi Deo facienda, agit Chrysostomus in utrisque homiliis et Antiochenis et CPtanis, ita ut opponat illam confessioni distinctae peccatorum coram omnibus, minime vero confessioni apud solum sacerdotem faciendae. Vide *In Gen., H.*, 20, 3, *PG.*, 53, 170; *H.*, 27, 6, 248; *In S. Pentec. H.*, 1, 6, *PG.*, 50, 463-4; *In Io., H.*, 34, 3, *PG.*, 59, 197; *In Lazar., H.*, 4, 4, *PG.*, 48, 1012-3. *De Sacerd.*, 3, 5. 6, *PG.*, 48, 643-644. — Sacerdos paenitentiae minister vices gerit Dei. Cf. Galtier, *DA.*, 1855-1860.

Marcus Eremita, Chrysostomi discipulus, *De Bapt., PG.*, 65, 1024 D : occulta cogitationis peccata revelanda.

Nilus abbas, Chrysostomi discipulus, *Ep., L.* 3, 243, *Ad Chariclem presbyterum, PG.*, 79, 496 D-501 B, presbyteri erga paenitentes rigorem temperat.

Hilarius, *In Mt.*, (18, 18), 8, *PL.*, 9, 1021 B : « Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicae iudicium praemisit : ut quos in terris ligaverint, i. e. peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione vid. veniae receperint in salutem, hi apostolicae condicione sententiae in caelis quoque aut soluti sint aut ligati. »

Ambrosius, *Paen.*, 1, 16, 90, *PL.*, 16, 495 A-496 A : « Si quis igitur occulta crimina habens propter Christum tamen studiose paenitentiam egerit; quomodo ista recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lacrimis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; ut ignoscatur obsecret; et cum secundo et tertio fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat; ut de ipso dicat Dominus Iesus : Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum (*Lc.*, 7, 47). » — Peccata Deo primum confitenda.

2, 8, 66-79, 513-516. Deinde episcopo, 2, 10, 91, 518 C-519 A : « An quisquam ferat ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? et pudeat te Deo supplicare, quem non lates, cum te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri? An testes precationis et conscios refugis, cum, si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres, ut dignentur intervenire?... » 10, 96, 520 B : « Facilius inveni qui innocentiam servaverint quam qui congrue egerint paenitentiam ». *In Ps.*, 39, *Enar.*, 37, *PL.*, 14, 1057 C-1058 A : « Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio : ne postea, cum venerit Dominus et ligatos invenerit quos oportuit solvi, commoveatur adversus dispensatorem, qui ligatos servaverit servos quos Dominus iusserat solvi (*Lc.*, 12, 47). »

Paulinus, *Vita Ambrosii*, 39, *PL.*, 14, 40 C : « Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus ; siquidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam paenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat ut et illum flere compelleret ; videbatur enim sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum quae illi confitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur ; bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint quam accusatores apud homines. »

(Ambrosiaster) *QVNT.*, *PL.*, 35, 2310, fin : « Ambiguum non est, eis qui errore aut necessitate aliqua in Deum peccant posse remitti si congruam paenitentiam agant. Hoc enim concessum est iuri ecclesiastico ab Auctore, ut et paenitentiam det et post paenitentiam recipiat. Et adhuc est aliquid quod reprehendit Novatianus : Cur, inquit, corpus Domini tradunt eis quos noverunt peccatores? Quasi possint ipsi accusatores esse, qui sunt iudices. Si autem accusati fuerint et manifestati, poterunt abici. »

Pacianus, *Paraenesis ad Paenit.*, 8, *PL.*, 13, 1086 BC : « Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes aegri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos... Et habet aliquid quod in illo erubescat, qui Dominum laesit? An sic illi melius est perire, ne tu pudore timidus

sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras cui pro te melius est perire?... »

Hieronymus. *In Mt.*, (16, 19), *L.* 3, *PL.*, 26. 118 A B : « Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Levitico (14) de leprosis, ubi iubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant : non quo sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quo habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus. »

Conc. Carthaginense (397), can. 32, Mansi 3, 885 B : « Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet paenitentem, nisi absente episcopo et necessitate urgente. Cuiuscumque autem paenitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur. »

Augustinus, *Ep.*, 153, 3, 7, *Ad Macedonium*, (A. D. 414?). *PL.*, 33, 656 : « Quamvis caute salubriterque provisum sit ut locus illius humillimae paenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est quanto minus contemptibilis fuerit: quis tamen audeat dicere Deo : Quare huic homini, qui post primam paenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? » 5, 15, 659 : « Quidquid autem, post eam quae fit in Baptismo abolitionem delictorum, in hac vita manendo peccamus, etiamsi non tale sit quod a divinis removeri compellat altaribus, non dolore sterili sed misericordiae sacrificiis expiatur... » *Ep.*, 228, 8, *Ad Honoratum* (428-9), 1016-7 : « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam paenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos qui de isto

saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati!... Si autem ministri adsint, pro viribus quas eis Dominus subministrat, omnibus subvenitur : alii baptizantur, alii reconciliantur... » *De Symb. ad Catechumenos* (418?), 7, 15,-8, 16, *PL.*, 40, 636 : « Cum baptizati fueritis, tenete vitam bonam in praeceptis Dei, ut Baptismum custodiatis usque ad finem. Non vobis dico quia sine peccato hic vivetis : sed sunt venialia, sine quibus vita ista non est. Propter omnia peccata Baptismus inventus est : propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa... (*Mt.*, 6, 12). Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere pro quibus necesse est ut a Christi corpore separemini : quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere paenitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria aut aliqua facta immania; inde agunt paenitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad haec quotidiana oratio delenda sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia : in Baptismate, in oratione, in humilitate maiore paenitentiae. Tamen Deus non dimittit peccata nisi baptizatis. » *De fide et operibus* (413), 26, 48, *PL.*, 40, 228 : « Non quisquam ita debet extolli ut, non dicam apud alios iactare, sed apud se ipsum putare audeat se in hac vita esse sine peccato; sed nisi essent quaedam ita gravia ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus (*1 Cor.*, 5, 4. 5; *2 Cor.*, 12, 4). Item nisi essent quaedam non ea humilitate paenitentiae sananda, qualis in Ecclesia datur eis qui proprie paenitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus (*Mt.*, 18, 15). Postremo, nisi essent quaedam sine quibus haec vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit (*Mt*, 6, 12). » *In Ps.*, 26, 6, *Enarr.*, 10, *PL.*, 36, 693 : « Si aliquid est in te forte quod displiceat Deo, curat ille cui confiteris. » *In Ps.*, 66, 8, 7, *PL.*, 36, 809 : « Ad hoc exigit confessionem ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis; confessus exulta : iam sanaberis. Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat : adhibet medicus fomenta verborum et aliquando secat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis : tu agnosce medici manum; confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies... » (Haec proprie spectant

confessionem Deo factam ; sed etiam requirunt factum homini. *Enchiridion* (421), 65, *PL.*, 40, 263-4 : « Neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia Dei misericordia desperanda est agentibus paenitentiam secundum modum sui cuiusque peccati. In actione autem paenitentiae, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris... (*Ps.*, 50, 19). Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quaecumque alia signa procedit... *Ps.*, 37, 10), recte constituuntur ab iis qui Ecclesiis praesunt tempora paenitentiae, ut fiat satis Ecclesiae in qua remittuntur ipsa peccata ; extra eam quippe non remittuntur... » *Serm.*, 82, 8, 11, *PL.*, 38, 511 : « In secreto debemus corripere, in secreto arguere ; ne volentes publice arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere et corrigere : quid, si inimicus quaerit audire quod puniat? Novit enim nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quaeris inscribere. Prorsus nec prodo nec negligo : corripio in secreto ; pono ante oculos Dei iudicium ; terreo cruentam conscientiam : persuadeo paenitentiam. Hac caritate praediti esse debemus. Unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus : aut putant nos scire quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus. Sed forte quod scis, et ego scio ; sed non coram te corripio ; quia curare volo, non accusare. Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant : aliquando nobis produntur ab uxoribus suis plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quaerentibus : nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Non tamen vulnus illud negligimus ; ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum ; quod aliquando qui committunt, nescio qua perversitate contemnunt : et nescio unde sibi testimonia nulla et vana conquirunt, dicentes : Peccata carnis Deus non curat... » *Serm.*, 351 (authent.?), 9, *PL.*, 39, 1545 : « Iudicet se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius : ne, cum iam non poterit, etiam praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae, sententiam,

veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur : et tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum ; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum eius non solum in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere paenitentiam non recuset, non resistat, non letali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem... » *Serm.*, 352, 3, 8, 1558 : « Restat tertium paenitentiae genus... paenitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia paenitentes, remoti etiam a sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne iudicium sibi manducent et bibant. Illa ergo paenitentia luctuosa est. Grave vulnus est : adulterium forte commissum est, forte homicidium, forte aliquod sacrilegium ; gravis res, grave vulnus, letale, mortiferum ; sed omnipotens medicus. Iam post suggestionem facti et delectationem et consensionem et perpetrationem, quasi quatriduanus mortuus putet ; sed nec ipsum Dominus deseruit, sed clamavit : Lazare, prodi foras. Cessit voci misericordiae moles sepulturae ; cessit mors vitae, cessit infernus superno. Elevatus est Lazarus, processit de tumulo ; et ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes paenitentiam. Iam processerunt a morte : nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto et a tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiae suae? (*Mt.*, 18, 18). Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiae suae bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem ; iam cetera implet Ecclesiae ministerium... »

Leo M., P.R. (440-461), *Ep.*, 10, 7, *In causa Hilarii Arelatensis episcopi, PL.*, 54, 635 AB : « Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus et dolens quodammodo debet inferre animus iudicantis. Cognovimus enim pro commissis et levibus verbis quosdam a gratia communionis exclusos, et animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam saevi supplicii sauciatam et inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incur-

sibus, ut facile caperetur, obiectam. Certe, si quando causa talis emerserit ut pro commissi criminis qualitate aliquem iuste faciat communione privari, is tantum poenae subdendus est quem reatus involvit; nec particeps debet esse supplicii, qui consors non docetur fuisse commissi. Sed quid mirum cum in laicos talem existere, qui soleat de sacerdotum damnatione gaudere? » *Ep.*, 108, 2.5, *PL.*, 54, 1011 B-1014 A, *DB.*, 146.147. *Ep.*, 168, 2, *Ad universos episcopos per Campaniam constitutos*, *PL.*, 54, 1210 C-1211 B., *DB.*, 145. Nihilominus, *Serm.*, 36, 4, *PL.*, 54, 256 BC; 43, 2-4, 282 B-285 A, *Ad populum de paenitentia*, nulla mentio ministerii sacerdotalis. Adeo non abutendum argumento ex silentio!

Cassianus, *Collat.*, 2. 11, *PL.*, 49, 538-542, pertinet ad initia confessionis monasticae (factum abbatis Serapionis).

Vita Hilarii Arelatensis (auctore Honorato Arelatensi?) († 450/5), 13, 16, *PL.*, 50, 1233 BC : « Quotiescumque paenitentiam dedit, saepe die dominico ad eum turba varia confluebat; volabat ad eius castigationem; quicumque adesse volebat, lacrimarum se imbribus eluebat, caelestibus iudiciis territus, promissisque succensus; tanti gemitus, tanti fletus astantibus nascebantur, ut vitae praesentis horreret habitaculum. Quis ita futuri iudicii monstravit examen? quis ita tenebrosum terribiliter intimavit incendium? Quis ita flumen exurentis pariter et rapientis cruciatus expressit? Quis ita vulnera conscientiae ante oculos inspicienda reduxit? Admonitione completa cum lacrimis, supplicationum sumebat exordia, ut paenitentiae fructum, quem monendo contulerat, orando firmaret. »

Eucherius Lugdunensis († 450/5), *Hom.*, 8, *Ad Monachos*, *PL.*, 50, 852 B : « Sed quid in nobis medicinam paenitentiae quaero? Utinam interdum post speratam veniam non paeniteatur! utinam non paeniteret humiliari, quos non paenitet praeveniri! Respondeat mihi illa anima quae peccatum suum confusione mortifera in conspectu fratrum sic agnoscere erubuit, quomodo vitare debuisset; quid faciet cum ante tribunal divinum, cum ante caelestis militiae fuerit praesentata consessum? Cum hinc atque inde quasi quibusdam vehementissimis testibus urgeri coeperit, veteribus circumdata malis, quae per humilitatis et compunctionis remedium curare noluit dum licebat, quae praepositis subtrahendo atque celando aeterno examini atque aeterno iudici integra reservavit. »

Ps. Ambrosius (Victor de Cartenna?) *De Paenit.*, 3. *PL.*, 17, 974 BC : « Vult ergo te magis nosse quid agatur in te, ut cum exponis medico vitium tuum, necessarium tibi propinet antidotum : tunc enim poteris perfectum consequi beneficium medicinae, si non celes medico tuae vulnera conscientiae. Ceterum, qualiter curandus eris, qui ea quae sunt in te absconsa non pandis? Opinor enim, nisi interpelletur medicus, non sanatur aegrotus... » 6,978 C : « At ecce miseros non deserit in pavore consilium, et invenit remedium ex periculo desperatio. Ad se ipsos redeuntes, conscientias suas vice iudicantis interrogant, currunt ad propugnaculum paenitentiae, et confessionis scuto opposito declinant sagittam. Itur ab omnibus in curationem criminum fatendorum, et in satisfactionis officium exposita morti turba conspirat... » 12, 985 B : « Sed ais mihi : Peccata peccatis adieci, et qui iam cadens erectus fueram, iterum cecidi, et conscientiae meae vulnus iam pene curatum peccati exulceratione recruduit. Quid trepidas? quid vereris? Idem semper est qui ante curavit, medicum non mutabis. Non laborabit explorare valetudinis tuae causam, nec tentabit erga te noviter medicaminis virtutem examinare, noto te sanabit antidoto. »

Sidonius Apollinaris, episcop. Claromontanus († circ. 489), *Ep.*, 4, 14. *Polemio*, *PL.*, 58, 520 A : « Si videtur humilitas nostrae professionis habenda contemptui, quia Christo res humanas vitasque medicaturo putrium conscientiarum cultro squalens ulcus aperimus; quod et in nostri ordinis viris etsi aliquid de negligentia fetet, nihil iam tamen de superbia tumet: noveris volo, non ut est apud praesulem fori, sic esse iudicem mundi. Namque, ut is qui propria vobis non tacuerit flagitia damnatur, ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus, absolvitur. »

Iulianus Pomerius, presbyter Arelatensis (fin. saec. V), *De vita contemplativa*, *PL.*, 59, 451-2 : « Huc accedit quod et ipsa peccata sic habentur occulta vel aliena nobis, vel aliis nostra, ut plerumque et sanctus inter peccatores lateat et famam sancti obtineat peccator. Innocentem, si se tueri non potest, suspicio iudicis incauta condemnat, et reum calliditas ingenii vivacis excusat. Verumtamen non divinum sed humanum fallunt ista iudicium. Et quid mirum, si animos aliorum quales sint, sine ipsorum confessione nescimus, cum nos ipsos

ita hodie noverimus ut quales futuri simus crastino nesciamus? Cum vero nobis fratres quilibet nostri peccata sua, tanquam medicis, vulnera quibus urgentur aperiunt, operam dare debemus ut quantocius ad sanitatem Deo auctore perveniant, ne in peius dissimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus undequaque claruerint, quaecumque non fuerint patientiae leni medicamine sanata, velut igni quodam piae increpationis urenda sunt et curanda. Quod si nec sic quidem aequanimiter sustineatis ac pie increpantis medela profecerit in iis qui diu portati et salubriter obiurgati corrigi noluerunt, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abscidi; ne, sicut caro morbis emortua, si abscisa non fuerit, salutem reliquae carnis putredinis suae contagione corrumpit, ita isti, qui emendari despiciunt et in suo morbo persistunt, si moribus depravatis in sanctorum societate permanserint, eos exemplo suae perditionis inficiant. Porro illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cum, si in malo suo permanserint, ituri sint in aeternum, Deo retribuente, supplicium? Quod si ipsi sibi iudices fiant, et veluti suae iniquitatis ultores hic in se voluntariam poenam severissimae animadversionis exerceant, temporalibus poenis mutabunt aeterna supplicia, et lacrimis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent aeterni ignis incendia. At hi qui, in aliquo gradu ecclesiastico constituti, aliquod occulte crimen admittunt, ipsi se vana persuasione decipiunt si eis videtur propterea communicare et officium suum implere debere, quod homines occultatione sui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis quae tam parva sunt ut caveri non possint, pro quibus expiandis quotidie Deo clamamus et dicimus : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Mt.*, 6, 12), illa crimina caveantur quae publicata suos auctores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiserint, et ideo prodere metuunt ne sententiam iustae excommunicationis accipiant, sine causa communicant; imo vero dupliciter contra se iram divinae indignationis exaggerant, quod et hominibus innocentiam fingunt et, contempto Dei iudicio, abstinere se ab

altari propter homines erubescunt. Quapropter Deum sibi facilius placabunt illi qui non humano convicti iudicio sed ultro crimen agnoscunt: qui aut propriis illud confessionibus produnt, aut nescientibus aliis quales occulti sunt, ipsi in se voluntariae excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari cui ministrabant non animo sed officio separati, vitam suam tanquam mortuam plangunt, certi quod, reconciliato sibi efficacis paenitentiae fructibus Deo, non solum amissa recipiant, sed etiam cives supernae civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant. »

Gregorius Turonensis († 594). *Historia septem dormientium*, 6, *PL.*, 71, 1116 AB.

Gregorius M. († 604), *Homil. in Evang.*, 26, 6. *PL.*, 76, 1200 C-1201 B : « Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi et solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecessit, aut quae sit paenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quae vid. demonstrat quia prius mortuum Dominus vocavit et vivificavit, dicens : Lazare, veni foras (*Io.*, 11, 43); et postmodum, qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus... (*Io.*, 11, 45). Ecce illum discipuli iam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fetorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere quos Auctorem nostrum cognoscimus per gratiam vivificare. Quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa cognoscitur confessione peccati. Unde et huic ipsi mortuo Lazaro nequaquam dicitur : Revivisce; sed : Veni foras. Omnis quippe peccator dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : Veni foras. Ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, i. e. culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut

pastores Ecclesiae ei poenam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit... » — Cf. Tixeront, *La doctrine pénitentielle de S. Grégoire le Grand*, *BALAC.*, 1912, p. 241-258.

Theodoretus. *Haer. Fab.*, 4, 10. *PG.*, 83, 429 AB, vituperat iudicium apud Audianos haereticos confessionem.

Ps. Dionysius, *Ep.*, 8, 1, *Ad Demophilum Monachum*, *PG.*, 3, 1088 AC, reprehendit sacerdotalis ministerii contemptorem.

Ioannes ieiunator, patriarcha CPtanus 582-595, ordinem audiendi confessiones paenitentium conscripsit : Ἀκολουθία καὶ τάξις ἐπὶ ἐξομολογουμένων. *PG.*, 88, 1189 sqq.

Anastasius Sinaita († post 700), in *Quaestionibus et Responsis*, 6. *PG.*, 89, 369 D-373 B, agit de delectu Patris spiritualis.

Quanquam sola peccata mortalia sunt materia necessaria Sacramenti Paenitentiae, ex monastica potissimum disciplina invaluit mos confitendi, sive sacramentaliter sive etiam non sacramentaliter, minora peccata. S. Benedictus in sua *Regula*, c. 7, *PL.*, 66, 373 C : « V^us^ humilitatis gradus est si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbati non celaverit suo. » Post id tempus, Ecclesia morem confitendi saepius universim commendavit ac tandem certa confitendi tempora statuit.

Legi potest A. Malnory, *Quid Luxovienses monachi, discipuli S. Columbani, ad regulam monasteriorum atque ad communem Ecclesiae profectum contulerint*, pp. 63-80. Paris, 1894.

Conc. Cabilonense, 639/654. can. 8, Mansi, 10, 1191 B (Maassen. *Concilia Aevi Merovingici*, *MGH.*, 1893, p. 210) : « De paenitentia vero peccatorum, quae est medela animae, utilem hominibus esse censemus; et ut paenitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur paenitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire. »

Chrodegangus. Metensis episcopus, 742-766. *Regula Canonicorum*, 32, *PL.*, 89, 1072 B : *Ordo ad paenitentiam accipiendam et confessionem faciendam.* — « Haec est oratio paenitentiae et confessionis nostrae, quae coram Deo et sacerdotibus eius a nobis pariter agendae sunt, i. e. in unoquoque anno tribus vicibus, i. e. in tribus quadragesimis

populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat, et qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque sabbato confessionem faciant, cum bona voluntate, episcopo aut priori suo. Quando volueris confessionem facere peccatorum tuorum, viriliter age et noli erubescere, quia inde venit indulgentia, et sine confessione non est indulgentia. » — Quod videtur antiquissimum exemplum praecepti ecclesiastici de confessione annua.

Gregorius II, P. R. (715-731), *Capitulare datum ablegatis in Bavariam*, 12, *PL.*, 89, 534 B : « Ut paenitentiae remediis nemo se non egere putet, pro quotidianis humanae fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus. »

Pirminus abbas († 758), *De singulis libris canonicis Scarapsus*, *PL.*, 89, 1043 BC : « Nemo, cum capitalia crimina admiserit, antequam confessionem suam donet et veram paenitentiam agat per consilium sacerdotis, secundum ordinem ecclesiasticum, corpus et sanguinem Domini communicare non praesumat... Ideo admoneo vos, ut quicumque Christianus post baptismum criminalem culpam fecit, puram confessionem ad sacerdotem donet, et veram paenitentiam agat, et post actam paenitentiam, tempore quo ei sacerdos constituerit, oblationem suam ad sacerdotem offerat et corpus et sanguinem Christi communicare faciat. »

Alcuinus, *Ep.*, 112, *Ad Fratres in provincia Gothorum*, *PL.*, 100, 337 B-338 A : « Nos quoque mutuo caritatis officio vestrae sanctitati aliquantulas piae admonitionis litterulas dirigere curavimus, propter quasdam consuetudines quae vestris inoluisse feruntur regionibus. Dicitur vero neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare, quos a Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus (*Mt.*, 16, 19; 18, 18). Quid solvit sacerdotalis potestas, si vincula non considerat ligati? Cessabunt opera medici, si vulnera non ostendunt aegroti. Si vulnera corporis carnalis medici manus expectant, quanto magis vulnera animae spiritalis medici solatia deposcunt? Deo vis, o homo, confiteri, quem nolens volens latere non poteris; Ecclesiae Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis. Cur ipse Christus leprosum, quem mundavit, sacerdotibus se iussit ostendere? (*Mt.*, 8, 4) Cur Lazarum quatriduanum resuscitatum alios solvere iussit? (*Io.*, 11, 44) Numquid non fasciamenta

mortui eodem verbo solvere poterat, quo mortuum vitae redditum de sepulcro prodire iussit? Cur interrogavit caecos ad se clamantes, quid voluissent? (*Mt.*, 20, 32) An ignorare cordis eorum voluntatem potuit, qui optatum lumen oculis illorum reddere voluit? Forte, si Deum latere sicut hominem potuisses, nec Deo plus quam homini confiteri voluisses. Superbiae hoc genus esse videtur, sacerdotem iudicem despicere. » *De confessione peccatorum, ad pueros S. Martini, PL.*, 101, 649 D-656.

Theodulfus, episcopus Aurelianensis († 821). *Capitula*, 36, *PL.*, 105, 203 : « Hebdomada una ante initium Quadragesimae, confessiones sacerdotibus dandae sunt, paenitentia accipienda, discordantes reconciliandi, et omnia iurgia sedanda, et dimittere debent debita invicem de cordibus suis, ut liberius dicant (*Mt.*, 6, 12). Et sic ingredientes in beatae Quadragesimae tempus, mundis et purificatis mentibus ad sanctum Pascha accedant, et per paenitentiam se renovent, quae est secundus baptismus... » Cf. 219 A.

Ionas, episcopus Aurelianensis († 844), *De institutione laicali*, 15, *PL.*, 106, 152 BC : « Praemissa igitur saluberrima testimonia indicant quod, excepta confessione, quae sacerdotibus absque cunctatione fieri debeat, unicuique in oratione Deo sua jugiter sint confitenda peccata, et gemitibus et lacrimis abluenda. Si quis autem curiose scire voluerit ubi in NT legatur quod peccatores sacerdotibus confessionem peccatorum suorum facere debeant, audiant *Mc.*, 1, 5; *Act.*, 19, 18; *I Io.*, 1, 9; *Iac.*, 5, 16... »

Conc. Cabilonense ann. 813, can. 32, Mansi, 14, 99 E-100 A : « Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima vid. et corpore, et interdum animi metu, interdum carnis fragilitate peccatur, sollerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio : sc. ut et ea confiteantur quae per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque suorum peccatorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat : quia aut cogitatione aut, quod est gravius, opere, eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel ceterae huiusmodi ani-

mae pestes, tanto periculosius laedunt quanto subtilius serpunt. » Can. 33. 100 AB : » Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent : quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam. Ita duntaxat et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, et cum David dicamus (*Ps.*, 31, 5), et secundum institutionem Apostoli (*Iac.*, 5, 16) confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque quae Deo fit, purgat peccata; ea vero quae sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque, salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. » Can. 34, 100 CD.

Regino Prumiensis abbas († 915). *De eccles. disciplina*, 1, 288, *PL.*, 132, 245 AB : « Presbyteri debent admonere plebem sibi subiectam ut omnis qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feria IV ante Quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad vivificantem matrem Ecclesiam, ubi, quod male commisit cum omni humilitate et contritione cordis simpliciter confessus, suscipiat remedia paenitentiae secundum modum canonicis auctoritatibus praefixum, tradaturque Satanae in interitu carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Non solum autem ille qui mortale aliquid commisit, sed etiam omnis homo quicumque se recognoscit immaculatam Christi tunicam, quam in baptismo accepit, peccati macula polluisse, ad proprium sacerdotem venire festinet, et cum purificatione mentis omnes transgressiones omniaque peccata, quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur, et quidquid ei a sacerdote fuerit iniunctum, ac si ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter intendat et cautissime observet. »

Lanfrancus, Cantuariensis archiepisc. († 1089), *Lib. de celanda confessione, PL.*, 150, 627 A : « (Dominus), qui baptizat in baptismate, ipse auditur in paenitentiam dante. Duae conscientiae in unam transeunt, confitentis sc. in eius cui confitetur, et iudicantis in eiusdem qui iudicatur... »

Ps. Augustinus, *De vera et falsa paenit.* (circa 1100), 10, 25, *PL.*, 40, 1122 : » Quem igitur paenitet, omnino paeniteat et dolorem lacrimis ostendat; repraesentet vitam suam Deo per sacerdotem, praeveniat iudicium Dei per confessionem.

Praecepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus (*Lc.*, 17, 14) : docens corporali praesentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda... Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis : ex misericordia enim hoc praecepit Dominus, ut neminem paeniteret in occulto. In hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti, et erubescentiam vincit timore Dei offensi, fit venia criminis : fit enim per confessionem veniale, quod criminale erat in operatione : et si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit qui, erubescentiae dominans, nihil eorum quae commisit nuntio Dei denegavit... Quare, qui confiteri vult peccata ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem scientem ligare et solvere : ne, cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet et petit ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Saepe enim contingit quod paenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia, ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire... »

Ivo Carnotensis († 1116), *Decret., pars* 15, 155, *PL.*, 161, 892 C (Ex *Paenitentiali Theodori et Conc. Cabilon.*, c. 33) : « Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, ut Graeci ; quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam ; ita duntaxat ut et Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, et hoc perfectorum est, et cum David dicamus (*Ps.*, 31, 5). Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem ut salvemur (*Iac.*, 5, 16). Confessio itaque quae Deo soli fit, quod iustorum est, peccata purgat. Ea vera quae sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque, salutis et sanitatis auctor et largitor, plerumque hanc praebet suae potentiae invisibili administratione, plerumque medicorum operatione ».

Abaelardus († 1142), *Serm.*, 8, *PL.*, 178, 442 AB : « Sunt animae morbi, sicut et corporis. Et ideo divina pietas medicos utrisque sanandis praevidit. Ipse quippe Dominus Iesus, se spiritalem medicum appellans, ait : « Non est opus valentibus medico, sed male habentibus » (*Mt.*, 9, 12). Huius locum sacerdotis in Ecclesia tenent, quibus tanquam animarum medicis peccata confiteri debemus, ut ab eis satisfactionis cataplasma sumamus. Qui mortem corporis timet, qualicumque corporis parte patiatur quantumque secreta, quantumlibet obscena, medico revelare et ad curandum exponere non differt... Quid ergo pro morte animae faciendum est » *Ethica*, 17, 25, 660.673; *Sic et Non*, 151, 1599-1600. — Cf. tamen S. Bernardum († 1153), *Capitula Haeresum Petri Abaelardi*, 12, *PL.*, 182, 1053 C-1054 A.

Ex auctoribus allatis et ex afferendis, illustratur quaestio multum vexata de interpretatione Gratiani. *Decr.* edit. ann. 1151 . part. 2 c. 33. q. 3, *De Paenit.*, dist. 1. *PL.*, 187, 1519 : « Utrum sola cordis contritione et secreta satisfactione, absque oris confessione, quisque possit Deo satisfacere. — Sunt qui dicunt quemlibet criminis veniam sine confessione facta Ecclesiae et sacerdotali iudicio posse promereri. » Tandem concludit, 1562 B : « Quibus auctoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis et confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhaerendum sit, lectoris iudicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes et religiosos viros. » Finem imponit recitando verba Theodori Cantuariensis archiepiscopi in Paenitentiali suo (?), quae verba supra recitavimus ex Conc. Cabilonensis (813), can. 33, et ex Ivone Carnotensi. *Decr.*, 15, 155; quae aperte favent necessitati confessionis. — De interpretatione, cf. E. Hugueny, O. P., *RSPT.*, 1912, p. 81-88; A. Debil, S. I., *RHE.*, 1914, p. 251-273; 442-455; F. Cavallera, S. I., *BLE.*, 1923, p. 172-210. Videtur Gratianus aliquid humani passus esse. Nam cum intellegeret ex una parte totius Ecclesiae traditione asseri necessitatem confessionis integrae omnium peccatorum mortalium ad iustificationem, ex altera parte rationibus efficacibus probari multos iustificari sine eiusmodi confessione, viam autem aptam conciliationis non inveniret, rem in medio reliquit. Verum omnia apte conciliantur ex dictis, si animad-

vertas vi contritionis perfectae homines iustificari extra sacramentum, quae quidem contritio existere potest sine confessione, non autem sine voto confessionis integrae.

Petrus Lombardus, *Sent.*, 4 *d.*, 17, 2, *PL.*, 192. 881 : « Sane dici potest quod sine confessione oris et solutione poenae exterioris peccata delentur per contritionem et humilitatem cordis. Ex quo enim aliquis proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit, quia ibi est confessio cordis etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula et contagio peccati commissi, et debitum aeternae mortis relaxatur... » 3, ibid. : « Quibusdam visum est sufficere si soli Deo fiat confessio, sine iudicio sacerdotali et confessione Ecclesiae... » 4, 882-3 : « Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Iacobi, 5, 16, sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur... Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur oportere Deo primum, et deinde sacerdoti offerre confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas. »

Alanus ab Insulis († 1202), *Summa de arte praedicatoria*, 31, *PL.*, 210, 172 D-173 : « Duplex est peccati confessio, quaedam generalis, quaedam specialis. Generalis, quae fit in dies de sacrificio matutino et vespertino, i. e. in completorio, pro venialibus et occultis ; specialis, quae fit pro mortalibus et manifestis ; ad quam tenentur clerici singulis sabbatis, laici vero ter in anno tenentur specialiter confiteri, vid. in Natali Domini, in Paschate et in Pentecoste. Quod figuratum est in VL., per hoc quod praeceptum est filiis Israel, ut ter in anno offerrent se Domino in Ierusalem, et non vacui. Sic et nobis praecipitur ut ter in anno nos Deo offeramus per confessionem in spirituali Ierusalem, i. e. in Ecclésia, et non vacui ab operibus bonis. Sed hodie invaluit ut vix laicus vel clericus semel confiteatur in anno, et dum confitetur, timendum est ne confiteatur potius ut satisfaciat consuetudini quam ex contritione animi... »

Decreta Ecclesiae ad confessionem sacramentalem spectantia.

Innocentius III, in *Conc. Lateranensi* IV, *contra Albigenses* etc.... (1215), c. 1, *DB.*, 430.

c. 21, *DB.*, 437 : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam

ad annos discretionis pervenerit. omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti... »

Alexander IV, *inter errores Gulielmi de Sancto Amore damnatos* (5 oct. 1256), 19, *DB.*, 459.

Benedictus XI, *Constt.* « *Inter cunctas sollicitudines* » (17 febr. 1304), *DB.*, 470. Confessio peccatorum salubriter iteratur.

Ioannes XXII, *Errores Ioannis de Polliaco damnati* (21 iul. 1321), *DB.*, 491-3. Quatenus necesse sit iterare confessionem proprio sacerdoti.

Conc. Constantiense, inter errores Wiclef (1415), 7, *DB.*, 587 : « Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis. »

Conc. Florentinum, Decr. pro Armenis (22 nov. 1439), *DB.*, 699.

Sixtus IV, *Errores Petri de Osma damnati* (9 aug. 1478), 1. 2. 3. 4, *DB.*, 724-7.

Leo X, *Errores Lutheri damnati Bulla* « *Exsurge, Domine* » (15 iun. 1520), 8. 9. 15, *DB.*, 748.749.755.

Conc. Tridentinum, s. 6 (13 ian. 1547), c. 14, De lapsorum reparatione. *DB.*, 807. Continet « ... etiam peccatorum confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam. » — s. 13 (11 oct. 1551), c. 7. *DB.*, 880 : « Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. » Accedit canon 11, *DB.*, 893. — s. 14 (25 nov. 1551), c. 1, De necessitate et institutione sacramenti paenitentiae, *DB.*, 894; c. 5, De confessione, *DB.*, 899-901. Accedunt canones 6-7-8, *DB.*, 916-8.

Alexander VII, *Decr. S. Officii* (24 sept. 1665), n. 11, *DB.*, 1111 : Peccata in confessione omissa, in sequenti confessione exprimenda. — 14, *DB.*, 1114 : Per confessionem voluntarie nullam, non satisfit praecepto Ecclesiae. — 24-25, *DB.*, 1124-5 : Species luxuriae declaranda.

Innocentius XI. *Decr. S. Officii* (2 mart. 1679), n. 58, *DB.*, 1208 : Fatenda consuetudo. — 59, *DB.*, 1209 : Dimidiate confessi non absolvendi.

Errores Michaelis de Molinos damnati *Constt.* « *Caelestis Pastor* » (19 nov. 1687), 47-48, *DB.*, 1267-8.

Pius VI. *Adv. Pistorienses, Constt.* « *Auctorem fidei* » (28 aug. 1794), 39, *DB.*, 1539. De peccatorum venialium confessione frequentanda.

Benedictus XV. *CIC.*, can. 901 : « Qui post Baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent. » — 902 : « Peccata post Baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, Sacramenti Paenitentiae. » — Can. 856, innovatur decretum Concilii Trid., s. 13, de confessione sacramentali mortalium, sacrae communioni praemittenda.

III. *Ratione theologica.*

Solutionem controversiarum antiquarum explicat S. Thomas, *In 4 d.*, 17, q. 3 a. 3 : « Utrum confessio liberet a morte peccati. » sol. 1 (= *Suppl.*, q. 10 a. 1).

« R.d.q. Paenitentia, in quantum est Sacramentum, praecipue in confessione perficitur, quia per eam homo ministris Ecclesiae se subdit, qui sunt sacramentorum dispensatores. Contritio enim votum confessionis annexum habet, et satisfactio pro iudicio sacerdotis, cui fit confessio, taxatur. Et quia in Sacramento Paenitentiae gratia infunditur, per quam fit remissio peccatorum, sicut in Baptismo, ideo eo modo confessio ex vi absolutionis coniunctae remittit culpam, sicut et Baptismus. Liberat autem Baptismus a morte peccati, non solum secundum quod actu suscipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur, sicut patet in illis qui iam sanctificati ad Baptismum accedunt; et si aliquis impedimentum non praestaret, ex ipsa collatione Baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata, si prius ei remissa non fuissent. Et similiter dicendum est de confessione adiuncta absolutioni, quia, secundum quod in voto paenitentis praecessit, a culpa libera-

vit: postmodum autem in actu confessionis et absolutionis gratia augetur; et etiam remissio peccatorum daretur, si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset, et ipse nunc obicem gratiae non praeberet. Et ideo, sicut de Baptismo dicitur quod liberat a morte, ita etiam de confessione dici potest. »

Scholion I. *De confessione venialium.*

Peccati venialis non eadem est ratio ac peccati mortalis : non enim est actus contra, sed praeter legem Dei, quo non simpliciter avertitur homo a fine ultimo, sed in eius prosecutione retardatur; nec privatur amicitia Dei, sed in effectu illius amicitiae aliquod impedimentum experitur; nec fit reus poenae aeternae, sed temporalis: peccatum analogice dictum. Eiusmodi peccatum est ex natura sua condonabile : non enim corrumpit habitum caritatis, et aliquo actu ferventiore potest compensari ac reparari. Cf. S. Th., 1ª 2ae, q. 88-89; *De Malo*, q. 7; Billot, *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis*[3], pars posterior, p. 99-121.

Ad remissionem peccati venialis faciunt omnia quae fovent fervorem caritatis, singulariter quidem infusio gratiae quae fit in Sacramento Paenitentiae. Quapropter ex consuetudine praesertim monastica usus in Ecclesia invaluit subiciendi clavibus etiam peccata venialia, non ex aliqua necessitate, sed ex affectu pietatis.

Ad rem S. Thomas, 3ª, q. 87 a. 2 : « ...Unumquodque tollitur per suum oppositum. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiae vel caritati, sed retardat actum eius, inquantum nimis inhaeret homo bono creato, licet non contra Deum... Et ideo, ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiae vel caritatis ad eius remissionem. Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ideo, quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur. » Et ad 2ᵐ : « Peccatum veniale nunquam remittitur sine aliquali actu paenitentiae virtutis, explicito sc. vel implicito... Potest tamen remitti peccatum veniale sine paenitentiae Sacramento, quod in absolutione sacerdotis

formaliter consistit... Et ideo non sequitur quod ad remissionem venialis peccati requiratur gratiae infusio, quae licet sit in quolibet sacramento, non tamen est in quolibet actu virtutis. »

Hinc manifestum est peccatum veniale remitti non posse homini qui versetur in peccato mortali, cum ille careat gratia Dei (*ibid.*, a. 4). Qualis autem actus liberi arbitrii adversus peccatum requiratur, explicatur *ibid.*, a. 1 : « Non sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum caritatis vel paenitentiae virtutis, quia sic caritas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quaedam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se meminisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. » Illa quidem displicentia peccati tribus modis excitari potest, qui explicantur, *ibid.*, a. 3 : 1° per SS. Eucharistiam, extremam unctionem et cetera sacramenta NL., in quibus confertur gratia ex opere operato : 2° per confessionem generalem (i. e. indistinctam), tunsionem pectoris et orationem dominicam, quae sunt sacramentalia remissionem peccatorum conferentia ex opere operantis; 3° per benedictionem episcopalem, aspersionem aquae benedictae et cetera sacramentalia, quae implicite operantur ad remissionem peccatorum.

Inter documenta Ecclesiae in thesi allata, attende *Conc. Trid.*, s. 14, c. 5 et can. 7 ; Pium VI, n. 39.

Scholion II. *De confessione apud non sacerdotem facta.*

Confessio sacramentalis — de qua sola agimus — apud eum sacerdotem facienda est qui possit paenitentem absolvere. Ceterum in antiquitate christiana non desunt exempla eiusmodi ministerii ex necessitate diacono commissi; quem morem postea Ecclesia sustulit. Vide exempla in thesi recitata, Cypriani, *Ep.*, 18, 1. p. 523, 19-524, 8 : *Conc. Illiberitani,* can. 32, Mansi, 2, 11. Alia colligi possunt plus minus similia.

[*Testamentum DNIC.*, ed. Rahmani, 37, p. 91 : « Diaconus catechizet paenitentiam agentes, ducatque ad presbyteros vel ad episcopum, ut erudiantur et cognitione imbuantur », ad catechumenos spectat].

Paenitentiale (pseudo)-romanum, ed. Wasserschleben,

Die Bussordnungen der abendländischen Kirche, p. 360 : « Si autem necessitas evenerit et presbyter non fuerit praesens, suscipiat diaconus paenitentem ad satisfactionem vel sanctam communionem. » Cf. Watkins, *A history of Penance*, p. 598.629. — *Paenitentiale Theodori Cantuariensis*, 31, *PL.*, 99, 946 B, in re simili mentionem facit communionis tantum, non satisfactionis.

Beda, *In lac.*, 5, 16, *PL.*, 93, 40 A : « In hac autem sententia, illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coacqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris leprae immunditiam iuxta legem sacerdotii pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter et quanto tempore iusserit purificare curemus. » — Haec verba recitat Petrus Lombardus et addit, *4 d.*, 17, 5, *PL.*, 192, 884 : « Sed et graviora coacqualibus pandenda sunt, cum deest sacerdos et urget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotum oblata copia, licet confiteri coaequali, et sufficit, ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non praetermittatur sacerdos. »

Quo consilio eiusmodi confessiones in necessitate apud laicos factae sint, accipe ex Ps. Augustino, *De vera et falsa paenitentia* (circ. 1100), 10, 25, *PL.*, 40, 1122, cuius habes verba recitata in thesi. — Verum Ecclesia cavit ne error et abusus obreperet. Odo de Soliaco, episcopus Parisiensis († 1208), *Synodica constitutione*, 56, ann. 1197, Mansi, 22, 684 D : « Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones nisi in artissima necessitate : claves enim non habent, nec possunt absolvere. » *Conc. Rotomagense* ann. 1231, can. 34, Mansi, 23, 218 A : « Nullus diaconus Eucharistiam det infirmis vel confessiones audiat vel baptizet, nisi cum sacerdos absens fuerit, ita quod eius adventus commode expectari non possit, vel idem presbyter gravi infirmitate vel alio inevitabili impedimento fuerit impeditus. » Edmundus Cantuariensis archiepiscopus (circ. 1236), *Constt.*, 12, Mansi, 23, 420 C : « De baptismate et paenitentia praecipimus, quod diaconi paenitentias dare et baptizare non praesumant, nisi in iis casibus : cum sacerdos non potest vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, et mors imminet puero vel aegroto. » *Conc. Pictaviense* ann. 1280, *c.* 5, Mansi, 24, 383 E : « Abusum erroneum, qui in nostra dioecesi ex perniciosa ignorantia

inolevit, eradicari volentes, inhibemus ne diaconi confessiones audiant et ne in foro paenitentiali absolvant; cum certum et indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur; et contrarium facientes, post monitionem quam super hoc in generali facimus, excommunicationis sententia innodamus. »

Quamvis autem partes sacerdotis non suppleantur, praestat paenitens pro sua parte quod potest, supplementum expectat a Deo. Eiusmodi confessiones summi magistri magnopere laudarunt. Albertus M., *In 4 d.*, 17, art. 5 : « Absolutio illa sacramentalis est, ut est Baptismus a laico datus, et laicus eo casu est veri ministri, i. e. sacerdotis, vicarius. » S. Thomas, *In 4 d.*, 17, q. 3 a. 3 sol. 2 ad 1^m^ : « In Sacramento paenitentiae, non solum est aliquid ex parte ministri, sc. absolutio, et satisfactionis iniunctio, sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio et confessio. Satisfactio autem iam incipit esse a ministro in quantum eam iniungit, et a paenitente in quantum eam implet, et ad plenitudinem sacramenti utrumque debet concurrere quando possibile est : sed quando necessitas imminet, debet facere paenitens quod ex parte sua est, sc. conteri, et confiteri cui potest : qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod est ex parte sacerdotis, absolutionem sc., tamen defectum sacerdotis summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio laico ex desiderio sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis. » — In quo animadverte S. Thomam loqui accuratius ac verius magistro suo Alberto : non enim dicit absolutionem laici esse sacramentalem, bene vero confessionem laico in necessitate factam esse quodammodo sacramentalem.

De illa materia, cf. P. Laurain, *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence*, Paris, 1897. — K. Holl (prot.), *Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum*, Leipzig, 1898. — Jos. Hörmann, *Untersuchungen zur griechischen Laienbeicht*, Donauwerth, 1913 (coll. Stuffer. *ZSKT.*, t. 38 (1914), p. 318-325). — G. Gromer, *Die Laienbeicht im Mittelalter*, München, 1909. — P. Amedeus a Fredelghens, O. M. Cap., *Doctrine de S. Thomas au sujet du sacrement de pénitence*

et de la confession aux laïques, in *Miscillanea Tomistica*, ed. Barcinonae, 1924, p. 302-325.

Scholion III. *De ratione confitendi.*

Confitendum, quantum fieri potest, ore, sacerdoti praesenti. Quod si aliqua ex causa, ut vocis defectu aut sermonis ignorantia, paenitens sacerdotem alloqui non possit, confiteatur eo modo quo potest, aut scripto aut per interpretem, dummodo sacerdoti se sistat. Quod si et vox et sensus defecerit, ex testimoniis autem adstantium praesumi possit legitime in moribundo voluntas confitendi, haberi poterit pro confesso et ut talis absolvi. Hoc ex vetere Ecclesiae disciplina. Leo M., *Ep.,* 108, 5, *Ad Theodorum Foroiuliensem,* 11 iun. 432, *PL.,* 54, 1013 B-1014 A : « Etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis paenitentiae et communionis gratia, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicia integri sensus postulant, non negetur. Ac si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et paenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur ; servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas qui in Deum a fide discedendo peccarunt. »

S. Thomas, *In 4 d.,* 17, q. 3 a. 4 sol. 3 : « Confessio non solum est actus virtutis, sed etiam pars Sacramenti. Quamvis autem ad eam, secundum quod est actus virtutis, sufficeret qualitercumque fieret.., tamen, secundum quod est pars Sacramenti, habet determinatum actum, sicut et alia Sacramenta habent determinatam materiam. Et sicut in Baptismo, ad significandam interiorem ablutionem, assumitur illud elementum cuius est maximus usus in abluendo, ita in actu sacramentali, ad manifestandum ordinate assumitur ille actus quo maxime consuevimus manifestare, sc. per proprium verbum ; alii enim modi sunt inducti in supplementum illius. » — Ad 2[m] : « In eo qui usum linguae non habet, sicut mutus, vel qui est alterius linguae, sufficit quod per scriptum aut nutum aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam possit. Quamvis homo non debeat Baptismum accipere nisi in aqua, quia aqua est omnino ab exteriori, et nobis ab alio exhibetur. Sed actus confessionis est a nobis ; et ideo, quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri. »

Nihil quidem vetat paenitentem scripto prius exprimere sacerdoti singillatim sua peccata, ac postea praesentem coram sacerdote accusare se de omnibus peccatis quae scripto expressit : tunc enim confessio oris vere habetur.

Sed non defuere qui censerent valere et confessionem scripto factam absenti sacerdoti et absolutionem scripto ab absente missam: ut Petrus de Palude, O. P. († 1342), Adrianus VI († 1523), *In 4 Sent., De Sacr. Paen.*, Conf., 1°, fol. 95 v, Paris. 1516; Silvester, O. P. † 1528). Quos nominat Petrus Soto, *Tract. de institutione sacerdotum, De conf.*, lectio II^a, 3^a, p. 206, Dillingae, 1560, et eorum sententiam dicit « secure teneri posse », reluctante Caietano. Haec tamen sententia paulatim evanuit e scholis ac tandem duplici decreto S. Officii proscripta est (Clem. VIII, 20 iun. 1602; Paul. V, 14 iul. 1605, *DB.*, 1088-9).

Decreto Clementis VIII proscripta fuerat haec propositio : « licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere ». Quoniam autem duae sunt partes propositionis, una de confessione, altera de absolutione, ortum est dubium de interpretatione, cum alii censerent utramque partem proscribi sensu composito tantum, i. e. totum illum processum confessionis et absolutionis scriptae, alii etiam sensu diviso, i. e. non modo absolutionem, sed etiam confessionem scriptam. Ac Fr. Suaresius, qui semper fuerat severioris sententiae, quanquam ob reverentiam veterum thomistarum alteram sententiam nulla graviore censura quam nota falsitatis premebat (cf. *De Paen., Disp.*, 19 s. 3, n. 15, ed. Paris., 1866, t. 22, p. 420 B), censuit decretum posse accipi sensu composito. Sed Paulus V decrevit etiam sensu diviso accipiendum esse. Et sic illa lis soluta est.

Ad historiam totius quaestionis, cf. Galtier, §§ 462-6. — Testimonia veterum qui (praesertim ante Ps. Augustinum, *De vera et falsa paenitentia*) confessioni et absolutioni scriptae favebant, collegit Alph. Michel, *RHLR.*, 1921, p. 58-75. — De causa Suaresii, R. de Scorraille, *François Suarez*, t. 2, p. 55-99, Paris, 1902.

De reticentia voluntaria peccatorum in confessione, E. Brahm, C. ss. R., ed. 5, 1924, Esschen (Belg.).

THESIS IX

Legis de sigillo sacramentali triplex fundamentum : ex iure naturali, divino positivo, et ecclesiastico.

Prolegomena.

1. Quanquam per se nihil obstat quin confessio etiam sacramentalis fiat coram multis — nam cognitioni causae non officit multorum praesentia, — tamen, quia iudicium sacramentale est proprium fori interni et ad reconciliationem spectat, administratio paenitentiae nunquam fuit sine aliquo secreto, etiam tum cum homines graviorum peccatorum exomologesim agebant coram Ecclesia. Fatendum autem est illud secretum longe aliter intellectum esse olim et nunc: adeo ut passim ab acatholicis dicatur inventum esse humanum idque recens ad extorquendam confessionem peccatorum necessario inductum a sacerdotibus. Unde cavendum in illa materia ne nimium probes : quasi quae nunc viget disciplina, necessario coniuncta fuerit cum prima institutione Sacramenti. Sed alia est legis evolutio, aliud eius fundamentum, quod triplex assignamus : unum ex iure naturali, quod pertinet ad iustitiam erga paenitentes servandam : unum ex iure divino positivo, quod pertinet ad religionem erga Deum : unum ex iure ecclesiastico, quod pertinet ad obedientiam legibus Ecclesiae debitam.

2. Obiectum sigilli sacramentalis est, primo quidem et per se, peccatum ex confessione paenitentis cognitum : deinde, quidquid in cognitionem peccati potest inducere homines directe vel indirecte : praeterea, quidquid, ad declarationem peccatorum pertinens, non potest innotescere sine gravamine paenitentis.

3. Subiectum sigilli est primo quidem sacerdos qui ex officio excipit confessionem ; tum quaelibet persona, ad cuius notitiam confessio quoquo modo pervenerit.

4. Obligatio gravissima est, quae propter nullum commodum nec temporale neque etiam spirituale declinari possit. Immo consentiunt auctores, ubi merito timeretur periculum revelationis, cessare obligationem confitendi.

5. Nomen sigilli in illa materia usurpatur a saec. XII. Petrus Cantor († 1197), *De Sacramentis*, Bibl. Nat., Paris, fonds latin. ms. 14445, fol. 200 R. — Ad historiam, cf. B. Kurtscheid,

O. F. M., *Das Beichtsiegel in seiner geschichtlichen Entwicklung*, Freib. i. B., 1912; Léon Honoré, S. I., *Le secret de la Confession. Étude historico-canonique*, Bruges, 1924.

Probatur thesis.

1° *Ex iure naturae.* — Sacerdos, cui paenitens pandit arcana conscientiae suae, obstringitur erga illum officio secreti commissi in re gravissima; quod pertinet ad ius naturae.

S. Thomas, *In 4 d.*, 21 q. 3 a. 1, sol. 1 (= *Suppl.*, q. 11 a. 1.) : « In Sacramentis ea quae exterius geruntur, sunt figura rerum quae interius contingunt; et ideo confessio, qua quis sacerdoti se subicit, signum est interioris qua quis Deo subicitur. Deus autem peccatum illius, qui se sibi subicit, per paenitentiam tegit : unde et hoc oportet in Sacramento Paenitentiae significari; et ideo de necessitate sacramenti est quod quis confessionem celet, et tanquam violator Sacramenti peccat qui revelat... » — (Cf. G. Arendt, S. I., *De radice inviolabilitatis sigilli in Sacramento Paenitentiae, iuxta doctrinam S. Thomae, Suppl.*, q. 11 a. 1, *Gregorianum*, 1924, p. 79-93).

S. Th., ib., a. 2 : « Duo sunt propter quae sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia Sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem. Alio modo, propter scandalum vitandum... »

Robertus Sorbo († 1274), *Tractatus super Confessione*, *Max. Bibl. PP.*, 25, 358 : « Hoc sacramentum sanctum tam secretum et tam fortiter inclusum est, ut nemo aperire possit ».

2° *Ex iure divino positivo.* — Christus sacramentorum auctor ita administrationem paenitentiae sacerdotibus commisit ut vellet emendationi hominum et saluti consuli, non iugum eis odiosum et intolerabile imponi, quod sane accideret si peccata paenitentium a sacerdotibus publicarentur. Hinc videmus ab initio Ecclesiae distinctas fuisse partes confessionis privatim apud sacerdotem factae et paenitentiae publice coram Ecclesia actae; quanquam utraque saepe uno eodemque nomine exomologesis appellata est, tanquam duo actus ad unum finem reconciliationis spectantes. Huc pertinent multa documenta in thesi VIII[a] recitata et alia mox in thesi X recitanda; quae diligens lector facile colliget, si operae pretium visum fuerit; nos chartae parcimus. Sacerdotum erat, audito

paenitente. modum satisfactionis imponere; qui modus multiplex fuit pro magnitudine peccatorum et condicione hominum; paenitentis erat. si ita iussus erat. paenitentia fungi coram Ecclesia: quae paenitentia plerumque coniuncta fuit cum aliqua suspicione gravium peccatorum. non tamen cum eorum publicatione.

Quanquam non defuerunt. saec. XVI-XVIII praesertim, qui censerent in vetere Ecclesia fuisse in more publicam confessionem graviorum delictorum; quod videtur abhorrere a veritate. Contra hos, sapienter statuit thesim 35ª Palmieri *Tract. de Paenitentia*, p. 392-404. Eiusmodi assertum nullo historico argumento fulcitur.

Affertur locus Tertulliani. *Bapt.*, 20. *PL.*, 1. 1222 C : « Nobis gratulandum est si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras ». ubi recens editor Vindobonensis (Reifferscheid pro *non* scripsit *nunc*, ita ut intellegendum sit homines merito sibi gratulari quod onera peccatorum nunc publica confessione deponant. non quod publicae confessionis necessitate eximantur. In quo animadvertendum est : 1° hunc locum non spectare ad confessionem secundae paenitentiae quae fit post Baptismum: sed ad primam paenitentiam quae fit ante Baptismum; nemo tamen dixerit unquam impositum esse catechumenis onus publice confitendi omnia peccata ante Baptismum admissa: — 2° locum immerito emendari. cum codices manu scripti pericrint. ac merito retineri *non*. quae fuit lectio primorum editorum. in fide codicum manuscriptorum sola fundata. — Cf. Honoré, *op. cit.*, p. 17. Ceterum eidem scriptori non assentimur. cum statuit viguisse primis saeculis confessionem publicam graviorum peccatorum, tanquam partem paene necessariam paenitentiae publicae, p. 6-18.

Affertur factum Nectarii patriarchae CPtani circa ann. 391 (Socrates *HE.*, 5. 19. *PG.*, 67-613 A-620 A; Sozomenus, *HE.*, 7, 16, *PG.*, 67. 1457 D-1464 A), unde colligi potest in Ecclesia CPtana aliquid tum imprudenter gestum esse in administratione paenitentiae, et propter scandalum munus presbyteri paenitentiae praepositi esse sublatum. Sed ex uno facto obscuro minime colligi potest quae tum fuerit consuetudo omnium Ecclesiarum. — Cf. supra, p. 89.

Plus ponderis habent quae scripsit Leo M., P. R., 6 mart. 459, *ad universos episcopos per Campaniam, Samnium et*

Picenum constitutos, *Ep.*, 168, 2, *PL.*, 54, 1210 C-1211 B : « Illam etiam contra apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De paenitentia sc. quae a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripto professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata ut ea qui poenitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur tam inprobabilis consuetudo, ne multi a paenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuunt inimicis suis ea facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficiat enim illa confessio quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis paenitentiam precator accedit. Tunc enim demum plures ad paenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. — Hinc facile colliges publicam graviorum peccatorum confessionem non communem Ecclesiae legem, sed privatam quorundam abusum fuisse, et ubi primum innotuit, auctoritate Romani Pontificis eradicatum esse.

Saeculo post, de minoribus delictis statuebat in *Regula* sua S. Benedictus († 543), 46, *PL.*, 66, 93 : « Si quis, dum in labore quovis, in coquina, in cellaria, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubiubi : et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem, ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum : dum per aliam cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animae vero peccati causa latens fuerit, tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua et aliena vulnera non detegere et publicare. » Mens Ecclesiae, in quibusdam aevi Carolingici documentis aliquantum obscurata, saec. XI splendide declaratur :

Petrus Damiani († 1072), *Serm.*, 69, *PL.*, 144, 901 B : « Confitens pastori suo puritatem cordis, veritatem oris, maceration[em] carnis debeat exhibere. Ille vero cui confitetur, paenitentiam dignam, orationem continuam, taciturnitatem perpetuam confitenti suo curet administrare. »

Lanfrancus † 1089 edit libellum *De celanda confessione*, *PL.*, 150, 625-632. In quo legitur, 628 AB : « ... Revelator confessionis, mortalis criminis reus est : fidem namque mentitur, sacramenta confessionis non observat, in unitatem Patris et Filii peccat, in Spiritu n Sanctum, qui est vera remissio, blasphemat... »

Saec. XII, canonistae et theologi docent secretum sacramentale esse gravius ceteris secretis, neque propter ullum detrimentum, sive privatum sive etiam publicum, prodi posse. Sit pro canonistis Gratianus. *Decr.*, 2. 33. q. 3. *De Paen.*, d. 5, p. 2, *PL.*, 187, 1649 : « Caveat sacerdos ne peccata poenitentium aliis manifestet. Quod si fecerit, deponatur. » Unde Gregorius ? : Deponatur sacerdos qui peccata poenitentis publicare praesumit. — Sacerdos ante omnia caveat ne de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam, si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat. » Eadem verba recitat Lombardus, 4 *d.*, 21, *PL.*, 192, 897.

Innocentius III, P. R. 1198-1216 : ait. *Serm.* 1 *in consecr. Pontif.*, *PL.*, 217, 652 « Gravius enim peccat sacerdos qui peccatum revelat, quam homo qui peccatum committit. »

Videtur autem in religione sigilli aliquid desideratum esse illa aetate, adeo frequenter, in conciliis eiusdem aetatis et subsequentis, illa religio inculcatur. Vide *Conc. Parisiense* sub Odone (1197), c. 6 n. 15, Mansi, 22. 676; *Conc. in Dalmatia* (1199) c. 4, Mansi, 22. 702; *Conc. Oxoniense* (1222), Mansi, 22, 1117; *Conc. Rotomagense* (1223), Mansi, 22. 1199; *Conc. Trevirense* (1227), Mansi, 23. 20; *Conc. Fritslarense* (1246), Mansi, 23, 726; *Conc. Colonense* (1279), Mansi, 24, 343; *Conc. Pennafidelense* in Hispania (1302), Mansi, 25. 945; *Conc. Trevirense* (1310), c. 121, Mansi, 25, 248; *Conc. Lambethense* (1330), c. 2, Mansi, 25. 892; *Conc. Pragense* (1346), c. 64, Mansi, 26. 408 A.. etc... ap. Honoré, p. 50 sqq.

Saec. XIII, scholastici concorditer docent sigillum sacramentale esse prorsus inviolabile, duobus tantum doctoribus singulariter opinantibus. Altissiodorensis († 1230), *In 4 d.*, tr. 6 c. 3 q. 4. opinatur ex gravissima causa (ut est validitas matrimonii) posse sigillum aperiri, facultate accepta ab episcopo. Alexander Alensis († 1245), *Summa*, p. 4 q. 19 m. 2 a. 1. ed. Venet., 1575, t. 4, p. 330 V. opinatur peccatum, a paeni-

tente non consummatum sed intentum, eximi a sigillo. Sed hi canunt extra chorum.

S. Thomas quaerit, *Quodlib.*, 5 q. 7 a. 13 : « Utrum praelatus possit subditum suum ab administratione removere ob audita in confessione. — R.d.q. id quod per confessionem auditur, nullo modo est manifestandum, nec verbo nec signo nec nutu; nec etiam aliquid est faciendum unde in suspicionem peccati aliquis possit devenire. Si ergo amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo praelatus deberet subditum ab administratione removere... Si vero per amotionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur..., tunc alia occasione accepta posset subditum sibi confessum ab administratione removere, et deberet hoc facere, cum debita tamen cautela, si talis administratio esset subdito periculosa in posterum. » Haec tum erat doctrina communis, quae iam difficilis videbatur Suaresio. *De Paen., Disp.* 33 s. 7 n. 12, ed. Paris. 1866, t. 22, 710 B. Dubium sublatum est Decreto Clementis VIII, de quo infra.

Saec. XVI-XVII, multum agitata est quaestio de revelando « crimine maiestatis », ex confessione cognito : de quo breviter dicemus, duce L. Honoré, op. cit., p. 70-80.

Anno 1477, edixerat Ludovicus XI, Galliae rex, ut quoquo modo cognita consilia adversus regem aut salutem regni, revelarentur; proposita capitis poena. *RQH.*, 1868, t. 4, p. 529. Id autem a confessario exigi non posse iam docuerat Io. Gerson (1363-1429), *Opp. omnia*, t. 3, p. 136 (*Regulae morales*). Verum id non nulli interpretabantur de sola confessione valida, ut apparuit, mota adversus Franciscum I coniuratione a Comite stabuli de Bourbon, in interrogatione Ioannis Hurault, episcopi Augustodunensis, qui erat Comiti a confessionibus. Quaestio denuo mota est, ex occasione necis regi illatae aut intentatae : Henrico III, 1589; Henrico IV, 1593.1594. 1610. « Gunpowder plot », 1605 : Garnet supplicio affectus, 3 mai 1606. Adversus Robertum Bellarminum, S. I., qui scripserat « Secretum confessionis sacramentalis nullo modo esse, ne quidem ad maximorum malorum declinationem, revelandum », edidit Iacobus Angliae rex : « *Triplici modo triplex cuneus, sive Apologia pro iuramento fidelitatis* ». Respondit Bellarminus anno 1608 : (Mathaei Torti) *Responsio*

ad librum cui titulus : « *Triplex cuneus* » : et iterum 1609. Sed non omnes cum Bellarmino. Inter eos qui censuerunt regem « caute » admoneri posse de periculo, nominandi sunt N. Coeffeteau, O. P., et Card. du Perron.

Dissensus ortus ex falsa interpretatione confessionis sacramentalis. Pro sacramentali habendam esse eam demum confessionem quam valida absolutio subsecuta esset, docuerat Panormitanus († 1445). *Super* 5° *Decr., De paenit. et remiss.*, c. 12, n. 24. Hanc autem sententiam egregie confutaverunt doctores, inter quos nominandi : Caietanus, *Opusc.*, t. 21. *De sigillo confessionis;* Dom. Soto. *In 4 d.*, 18 q. 4 a. 5 concl. 5; Azpilcueta (Navarrus), *Opp.*, t. 1, *De Paen.*, d. 1, c. penult., n. 120-121; Val. Reginaldus, S. I., *Praxis fori paenitentialis*, *L.* 3 c. 1 n. 5 sqq. ; alii. Hi recte docuerunt pro sacramentali habendam esse omnem confessionem etiam hominis impaenitentis, dum modo spectet ad potestatem clavium.

3° *Ex iure ecclesiastico.* — Ius ecclesiasticum in ea re semper ad severiorem partem inclinavit.

Innocentius III, in *Lateranensi* IV (1215). *DB.*, 438 : « Caveat autem omnino ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed, si prudentiore consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam qui peccatum in paenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam paenitentiam in arctum monasterium detrudendum. »

Conc. Tridentinum, s. 14 (1551) c. 5 et can. 6. *DB.*, 901.916.

Clemens VIII. *Decr. pro Regularibus*, 26 mai. 1593 : « Tam superiores pro tempore existentes quam confessarii qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. »

Innocentius XI, *Decr. S. Off.,* 18 nov. 1682, *DB.*, 1220, vetat uti scientia ex confessione acquisita, « cum gravamine paenitentis », etiam seclusa quavis revelatione.

Benedictus XIV, 7 iul. 1745, vetat nomen complicis inquiri. *DB.*, 1474.

Benedictus XV, *Instr. S. Officii,* 9 iun. 1915.

CIC., 889.890.1757, 3, 2°; 2369, 1.

CAPUT IV

DE SATISFACTIONE

THESIS X

Ad integritatem Sacramenti Paenitentiae pertinent opera poenalia a paenitente ex arbitrio Ecclesiae suscepta ut satisfaciat Deo.

Prolegomena.

I. Tertium elementum materiale Sacramenti requiritur ad eius integritatem dumtaxat : nam si adfuerint cetera elementa, deficiente hoc complemento, nihilominus validum stabit Sacramentum. Sed poenae in hac vita non solutae manebunt in altera luendae. Nam peccatum mortale, quod aufert caritatem, inducit reatum poenae aeternae, S. Th., I-2ae q. 87 a. 3. Sublato reatu culpae et poenae aeternae, non ideo statim aufertur omnis reatus culpae temporaliter luendae.

Satisfacere alteri dicitur qui ad illius arbitrium praestat aliquid acceptabile pro reparatione offensae aut solutione debiti. Vocabulum in iure romano usurpatum. Sic in iure belli. Cic., *Verr.*, 2. 1. 31 : « (Solebat) in qua civitate legatus populi romani violatus esset, nisi publice satisfactum esset, ei civitati bellum indici. » Caesar, *BG.*, 6. 9 : « Caesar Ubiorum satisfactionem accepit. » In re civili, *Dig.*, 13. 7, 9 : « Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum. »

Utroque nomine, iniuriae in Deum admissae et debiti, peccatum requirit satisfactionem. Nam Maiestas Dei laesa meretur ipsius odium, et ordo obiectivus laesus restituendus est vindice Deo. Porro solus Christus pro homine adaequate satisfacere Deo potuit; verumtamen aequitas postulat aliqualem ab ipso homine satisfactionem, qua quodammodo

adimpleatur satisfactio Christi. S. Th., *In 4 d.*, 15 q. 1 a. 4 sol. 1 : « Recompensatio offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno qui plus habuit iusto, et additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Deo autem quamvis, quantum ex parte sui est, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando... : unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid, sed magis perficit ipsum : ergo subtractio non poterit fieri per opus bonum, nisi poenale sit. Et ideo, ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit, et poenale, ut aliquid peccatori subtrahatur. » — Cf. *In 4 d.*, 21 q. 1 a. 1 sol. 4.

De satisfactione Christi, quae est nostra Redemptio, cf. S. Th., 3, q. 48 a. 2. — *D.A.*, art. *Redemption*, col. 554-564. — Satisfactio Christi, in Scriptura et apud Patres, saepe describitur; nondum tamen hoc nomine appellatur, quod vulgavit maxime Anselmus, saec. XI. Nostra autem satisfactio est paenitentiae quaedam pars materialis : bona enim voluntas satisfaciendi Deo extenditur ad illa opera poenalia. — Ps. Augustinus, *De ver. et fals. paen.*, 8.22 *PL.*, 40, 1120 : « Paenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. »

Satisfieri Deo multipliciter potest : aut toleratione passionum quas ipse immittit, aut voluntaria susceptione operum. Ceterum longe diversa est condicio operum peractorum ante iustificationem et post iustificationem. Opera enim ante iustificationem suscepta valent utique ad aliquam bonae voluntatis testificationem et possunt illicere divinam misericordiam; nullum tamen habent meritum condignum coram Deo. E contra, opera post iustificationem suscepta vere merentur coram Deo, et quidem dupliciter : ex opere operantis, propter caritatem in iustificatione infusam, quae est radix omnis meriti; et ex opere operato, ad solutionem debiti, si ex arbitrio sacerdotis absolventis suscipiantur : induunt enim ipsam virtutem Sacramenti.

2. Contradicunt thesi Protestantes, statuentes omnem poenam una cum culpa dimitti, et appellant auctoritatem Scripturae : *Rom.*, 8, 1 ; *Hb.*, 10, 18 : *Is.*, 43, 25 ; *Ier.*, 31, 34, etc. Cum Protestantibus, Graeci schismatici. Cf. *Documents relatifs au Concile de Florence, I. La question du Purgatoire à Ferrare, Documents* I-VI. *Textes édités et traduits par S. E. Mgr Louis Petit, archev. latin d'Athènes. PO.*, t. 15, fasc. 1, Paris, 1920 ; A. d'Alès, *La question de Purgatoire au Concile de Florence en 1438*, *Gregorianum*, t. 3 (1922), p. 9-50 ; P. Bernard, art. *Purgatoire*, in *DA.*, 1924. — Catholici plane interpretantur de iustitia coram Deo et salute aeterna auctoritates Scripturae allatas et alias similes, ut *Ez.*, 18, 21-23 ; 33, 12-16, etc. Distinguunt autem reatum poenae a reatu culpae : et hoc extincto, illum non semper statim extingui contendunt. Afferunt exemplum primi parentis, Adam, et alia exempla ex Scriptura : *Num.*, 17, 12 sqq., 20, 1 sqq. ; 2 *Sam.*, 10, 12-14 ; adducunt etiam auctoritates Patrum, ut Augustini, *In Ps.*, 50, 11-15, *PL.*, 36, 592 ; *In Io., Tr.*, 124, 5, *PL.*, 35, 1972, et scholasticorum, ut S. Thomae, 1ª 2ae, q. 87 a. 6 ; 3ª, q. 86 a. 4 ; *In 4 d.*, 14 q. 2 a. 1 sol. 2. — Cf. Billot, *Disq. de nat. et rat. peccati person.*, Corollarium, p. 93-96.

3. Viguisse in pristina Ecclesia, ad VIm fere saeculum, paenitentiam publicam notissimum est. Sed si expenderis documenta allata in thesi VIIIª et similia, facile intelleges hanc fuisse formam externam paenitentiae christianae, non totam paenitentiam : si quidem, ut publice ad paenitentiam admitterentur, prius audiebantur secreto paenitentes a sacerdotibus, quorum arbitrio statuebatur qua paenitentia oporteret illos fungi, num publica exomologesi in facie totius Ecclesiae, an aliqua privata expiatione. Non quo daretur singulis optio durioris aut mitioris paenitentiae, ut nonnulli somniarunt ; sed ad prudentiam sacerdotum pertinebat ut non omnes promiscue illo gravissimo remedio paenitentiae publicae curarent, quod semel in vita dabatur. Ad haec, cf. *EC.*, Conclusion, p. 396-405 et append. III, p. 425-455.

Publica paenitentia propter tria fere capitalia crimina (idololatriae, homicidii, impudicitiae) dari solebat, ut constat inter omnes. Sed neque illa sola peccata subiciebantur clavibus Ecclesiae, neque onus paenitentiae publicae imponebatur indiscriminatim omnibus ad claves Ecclesiae confugientibus, neque

unus fuit semper et ubique discretionis modus. Diversitatem in recensendis peccatis gravioribus ostendunt catalogi passim a Patribus conscripti: commemorari possunt : *Did.*, 5, 1; Hermas, *Sim.*, 9, 15, 3; Tertullianus, 4 *adv. Marc.*, 9; *Pud.*, 2.4.5.12.19; cf. *Théol. de Tert.*, p. 273-5; Origenes, *De Or.*, 28; *C. Cels.*, 3, 51: Evagrius Ponticus, *PG.*, 40, 1272 A; Gregorius Naz., *Or.*, 38, 13, *In Theophania*, *PG.*, 36, 325 A; *Constt. Apostol.*, 7, 18, 1, ed. Funk, p. 402: Pacianus, *Paraen. ad paen.*, 4.5, *PL.*, 13, 1083-4: Augustinus, *De fid. et opp.*, 19, 34, *PL.*, 40, 220: Cassianus, *De Coenobiorum institutione*, 5, 1, *PL.*, 49, 202 C-203 A: *Coll.*, 4, 10, 621-2: Gregorius M., *Moralia*, 1, 45, 87, *PL.*, 76, 621 A; Ioannes Climacus, *Scala paradisi*, gr. 22, *PG.*, 88, 948 A-949 A. Diversitatem in taxatione ostendunt canones Conciliorum et episcoporum. Quam diversitatem ad quandam unitatem redigere tentaverunt *Libri Paenitentiales* saec. VII et post conscripti. Persuasio autem Veteris Ecclesiae de necessitate satisfactionis Deo praestandae nihil habet obscuri, et perpetua deinceps traditione confirmatur.

Probatur thesis. — I. *Scriptura*. 1). Sacrae Litterae passim docent Deum velle reddi homini iuxta opera sua, neque ab ea lege exemptos velle eos quibus delicta sua condonavit. *Ps.*, 61, 13: *Prov.*, 24, 12: *Iob.*, 33, 10-11: *Mt.*, 16, 27; *Rom.*, 2, 6. — *Gen.*, 3, 16 sqq., *Num.*, 12, 13-15; 20, 11-13; 2 *Sam.*, 12, 9-14; *3 Rg.*, 13, 20-26. — Sed Deus acceptum habet quidquid homo etiam peccator praestat ex desiderio iustitiae et voluntate satisfaciendi. *Tob.*, 4, 11; 12, 9; *Ps.*, 33, 19; 50, 19; 146, 3; *Prov.*, 14, 22; 16, 6; *Dan.*, 3, 39-40; 4, 24. Exemplum satisfactionis in muliere peccatrice, *Lc.*, 7, 36-50: adhortatio Domini, *Lc.*, 16, 9.

2) Institutio iudicii reconciliativi videtur postulare ut consulatur utilitati eorum qui per gratiam reconciliantur et eorum qui vident reconciliationem. Porro neutrum fieret, sed magis scandalum oriretur, si memoria peccati aboleretur cum ipso peccato — ut sunt homines proni ad oblivionem.

II. *Perpetua consuetudine Ecclesiae.* — Recole dicta in thes. II. IV. VIII.

Did., 4, 6.

Barnab., 19, 10.

Hermas, *Sim.*, 6, 4.

2 *Clem.*, *Cor.*, 16, 4.

Irenaeus, *H.*, 1, 6. 3, *PG.*, 7, 508 B; 13, 5.7, 588 B.592 A; 3. 3, 4, 852 B; 3, 4, 3, 857 A; 3, 14, 4, 916 C-917 A., etc...

Tertullianus, *Paen.*, 7, 14 : « Habes cui satisfacias, et quidem volentem. » 9, 1-5 : « Huius igitur paenitentiae secundae et unius, quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio, ut non sola conscientia praeferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione paenitentia noscitur, paenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiae illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum maeroribus deicere, illa quae peccavit tristi tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris sc. sed animae causa : plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrimari et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. Haec omnia exomologesis, ut paenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur et temporali afflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat... » Cf. *Pud.*, 13. — *Théol. de Tert.*, p. 342.

Cyprianus, *Laps.*, 17, p. 249, 24-26 : « Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne iudicium de Patre solus accepit. » *Ep.*, 11, 5, p. 499, 14-23 : « Quod si pro nobis ac pro delictis nostris ille et laborat et vigilat et precatur, quanto nos magis insistere precibus et orare et primo ipsum Dominum rogare, tunc deinde per ipsum Deo Patri satisfacere debemus? Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris IC Dominum et Deum nostrum, si modo nos in praeteritum peccasse paeniteat, et confitentes atque intellegentes delicta nostra quibus Dominum offendimus, vel de cetero nos ambulare in viis eius et praecepta eius metuere spondeamus. »

Ps. Cyprianus. *Adv. Novatianum*, 18. p. 68, 34 : « Dum patet, Fratres, misericordiae aditus, Deum plenis satisfactionibus deprecemur, humiliemus nos ut exaltari possimus. »

Origenes. *In Ps.*, 37, *H.*, 2, 5, *PG.*, 12, 1385 CD.

Philippi imperatoris (244-9) paenitentia, auctore Eusebio. *HE.*, 6, 34, *PG.*, 20, 596 A.

Gregorius Thaumaturgus. *Ep. canonica*, c. 11. *PG.*, 10, 1048 AB. Aut eius interpolator, cf. sup., p. 43 — Cf. *EC.*, p. 409-421.

Conc. Laodicenum (343-381), c. 19. Mansi, 2, 567 BC.

Constt. Ap., 2, 57, 14 ed. Funk, p. 165, 15 : 8, 9, 11, 448, 4 ; 8, 35, 2-36, 1, 544, 3-8 ; 8, 38, 1-2, 546, 15-20.

Basilius. *Ep.*, 199 (can. 2). *Ad Amphilochium*, c. 34, *PG.*, 32, 728 A ; *Ep.*, 188 (can. 1), 13, 681 B.

Ambrosius, *Paen.*, 1, 16, 90-91, *PL.*, 16, 493-4 ; 2, 6, 48, 509 : 2, 10, 95, 520 A : « Merito reprehenduntur qui saepius agendam paenitentiam putant : quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent paenitentiam, iterandam postea non putarent : quia, sicut unum Baptisma, ita una Paenitentia, quae tamen publice agitur : nam quotidiani nos debet paenitere peccati. Sed haec delictorum leviorum, illa graviorum. » — *Ep.*, 20, 26, *PL.*, 16, 1002 B reconciliatio in Parasceve ; — 51, 13, *Ad Theodosium imp.*, *PL.*, 16, 1163 A : « Offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere. An quod in unius innocentis sanguine non licet, in multorum licet? Non puto. » — Cf. Paulinus. *Vit. Ambr.*, 24, *PL.*, 14, 35 C : « Quod factum ubi cognovit sacerdos, copiam imperatori ingrediendi Ecclesiam denegavit, nec prius dignum iudicavit coetu Ecclesiae vel Sacramentorum communione, quam publicam ageret paenitentiam. »

Pacianus, *Paraen. ad Paen.*, 4, *PL.*, 13, 1084 A : « Tenacitas humanitate redimetur, convicium satisfactione pensabitur... » 10-11, 1087 B-1089 A.

Conc. Carthaginense III (397), can. 32. Mansi, 3, 886.

Hieronymus, *Ep.*, 77, 4, *Ad Oceanum*, *PL.*, 22, 692 (paenitentia Fabiolae) : « Quid ego in abolitis et antiquis moror, quaerens excusare culpam cuius paenitentiam ipsa confessa est? Quis hoc crederet ut, post mortem secundi viri in semetipsam reversa, quo tempore solent viduae negligentes, iugo servitutis excusso, agere se liberius, adire balneas, volitare

per plateas, vultus circumferre meretricios, saccum indueret, ut errorem publice fateretur, et tota urbe spectante romana ante diem Paschae in basilica quondam Laterani, qui caesariano truncatus est gladio, staret in ordine paenitentium, episcopo, presbyteris et omni populo collacrimantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quae peccata fletus iste non purget? quas inveteratas maculas haec lamenta non abluant?... »

Augustinus. *In Io., Tr.*, 124, 5, *PL.*, 35, 1972 : « Productior est enim poena quam culpa : ne parva putaretur culpa, si cum ea finiretur et poena. Ac per hoc, vel ad demonstrationem debitae miseriae vel ad emendationem labilis vitae vel ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem detinet poena, et quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. » — *Serm.*, 392, 2-3. *PL.*, 39, 1711 : « Propterea Deus voluit ut Theodosius imperator ageret paenitentiam publicam in conspectu populi, maxime quia peccatum eius celari non potuit : et erubescit senator quod non erubuit imperator? Erubuit nec senator, sed tantum curialis, quod non erubuit imperator? Erubescit plebeius sive negotiator quod non erubuit imperator? Quae ista superbia est?... »

Innocentius I, P. R. (402-417), *Ep. Ad Decentium Eugubinum*, 7, *PL.*, 56, 517 B : « De aestimando pondere delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem paenitentis et ad fletus atque lacrimas corrigentis, ac tum iubere dimitti cum viderit congruam satisfactionem. »

Leo M. (440-461), *Ep. ad Rusticum Narbonensem*, 167, inq. 19. *PL.*, 54, 1209 B : « Si convivio solo gentilium et escis immolaticiis usi sunt, possunt ieiuniis et manus impositione purgari, ut deinceps ab idolothytis abstinentes Sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per paenitentiam publicam non oportet admitti. »

Gregorius M. (590-604), *In 1 Sam.*, 7, 6. *PL.*, 79, 207 AB : « Afflictio paenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo, confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis. »

Paenitentia publica semel concessa.

Inter leges quibus paenitentia publica adstricta fuit, illa firmissima erat quae vetabat paenitentiam publicam plus quam semel in vita concedi : habebatur enim instar alterius Baptismi et pariter dispensabatur. Huius legis testes citari possunt : Hermas, *Mand.*, 4, 3, 6 : Μετὰ τὴν κλῆσιν ἐκείνην τὴν μεγάλην καὶ σεμνὴν ἐάν τις ἐκπειρασθεὶς ὑπὸ τοῦ διαβόλου ἁμαρτήσῃ, μίαν μετάνοιαν ἔχει. *Ib.*, 4, 1, 8 : Τοῖς γὰρ δούλοις τοῦ Θεοῦ μετάνοιά ἐστιν μία. Clemens Alex., *Str.*, 2, 13, 57, Stählin, p. 143. Tertullianus, *Paen.*, 7, 10 : « Deus, clausa licet ignoscentiae ianua et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere : collocavit in vestibulo paenitentiam secundam, quae pulsantibus patefaciat; sed iam semel, quia iam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra. » Origenes, *In Lev., II.*, 16, 2, *PG.*, 12, 561 A : « In gravioribus enim criminibus semel tantum paenitentiae conceditur locus : ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper paenitentiam recipiunt et sine intermissione redimuntur. » *Conc. Illiberitanum*, can. 3. 7. *Didascalia Apostol. syr.*, trad. Nau[2], 10, p. 98-99 : et *Constt. Ap.*, 2, 43, 4, ed. Funk, p. 137 : *Didasc. Addai*, 2. 46. trad. Nau, p. 227, Paris. 1912. Adversarii Ioannis Chrysostomi in Synodo ad Quercum (403 . Mansi, 3, 1145 C D et Socr., *HE.*, 6, 21, *PG.*, 67, 725 B-728 A. Ambrosius, *Paen.*, 2, 10, 95, *PL.*, 16, 520 A. Pacianus, *Ep.*, 3, 9.12, *PL.*, 13, 1069 C-1072 A. Siricius, P. R. (384-399), *Ep.*, 1, 5, 6, *Ad Himerium Tarracon., PL.*, 13, 1137 A B. Hieronymus, *In Habac., L.*, 2, 3, *PL.*, 25. 1325 D. Augustinus, *Ep.*, 153, 3, 7. *PL.*, 33, 655-6 : « In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam post actam paenitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant; et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum; nec minus tribuit quam ante tribuebat largissima munera vitae ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimae paenitentiae non concedatur. Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat : Aut date mihi eundem iterum paenitendi locum, aut desperatum me permittite ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adiuvor et humanis legibus non prohibeor, in scortis, omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum sed apud homines plerosque etiam laudabili; aut si me ab hac nequi-

tia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero, si me paenitendo vehementius quam prius excruciavero, si miserabilius ingemuero, si flevero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si caritate quae operit multitudinem peccatorum (*1 Pt.*, 8, 4) flagravero ardentius; quis nostrum ita desipit ut huic homini dicat : Nihil tibi ista proderunt in posterum, vade, saltem vitae huius suavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam ! Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit ut locus illius humillimae paenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo : Quare huic homini, qui post primam paenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?... » *Conc. Toletanum III* (589), c. 11-12, Mansi, 9, 995.

Inde colliges prudenti veteris Ecclesiae oeconomia factum esse ut paenitentia publica semel in vita concederetur. Sed non ideo desperationi tradebantur relapsi : semper enim locus erat paenitentiae privatae, quam, uti describere difficile est, ita certissimum est exstitisse. *EC.*, p. 451-455.

Initium reconciliandi publice relapsos, quantum deprehendere possumus, factum est in Oriente a Ioanne Chrysostomo, in Occidente post Augustinum demum. Indicia apud Ps. Ambrosium (Victorem de Cartenna, in Africa?), post 450; 12, *PL.*, 17, 985. Hinc interpretare et tempera quae circa ann. 1100 scripsit Ps. Augustinus. *De vera et falsa paen.*, 5, 13. *PL.*, 40, 1117 : « Scimus autem primos Patres et in omni tempore Ecclesiam Dei semper usque septuagies septies, quod est semper, peccata dimittere ».

De diversitate paenitentiae.

Quibusdam personis paenitentia publica non dabatur, maxime clericis, quibus paenitentia erat ipsa privatio ordinis. Tertullianus, *De exhort. cast.*, 7 : *De monog.*, 12; Hippolytus, *Philosoph.*, 9, 12; Cornelius, P. R., *Ep. ad Fabium Antioch.*, ap. Euseb., *HE.*, 6, 43, *PG.*, 20, 621 A; Petrus

Alex., *Ep. canon.*, 10. *PG.*, 18, 488; Basilius, *Ep. canon.*, 3, 51. *PG.*, 32, 796 A; *Canon apost.*, 62, ed. Funk, p. 582, 19 22; Siricius, *Ad Himerium Tarrac.*, 14, 18. *PL.*, 13, 1145 A; *Conc. Carthag.* ann. 401, can. 11, Mansi, 3, 970 D; Innocentius I, *Ep. ad episcopos Macedon.*, 3. *PL.*, 56, 509 C; Leo M., *Ep.*, 167, inq. 2, *PL.* 54, 1203 B-1204 A.

Aliquid simile de virgine Deo sacra, Innocentius I, *Ad Victricium ep. Rotomagensem*, c. 14, *PL.*, 56, 525 B-526 A : « Quae Christo spiritualiter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam paenitentiam, nisi is cui se iunxerat de saeculo recesserit. Si enim de hominibus haec ratio custoditur ut quaecumque vivente viro alteri nupserit, habeatur adultera nec ei agendae paenitentiae licentia concedatur nisi unus ex his fuerit defunctus, quanto et illa tenenda est quae ante se immortali Sponso iunxerat et postea ad humanas nuptias transmigravit? »

De libris paenitentialibus.

Aucto fidelium numero et disseminatis paroeciis, paulatim derelictus est mos antiquus paenitentiae publicae, et ministerium paenitentiae, quod primo a solis episcopis exercebatur, presbyteris commissum est. Ut in illo ministerio aliqua uniformitas servaretur, conscripti sunt a saec. fere VII et ex Hibernia primum advecti « libri paenitentiales », quibus continebatur et distinctio peccatorum et modus paenitentiae unicuique peccato annexae. Illorum librorum primus fons fuit collectio canonum et decretorum quam Romae condidit Dionysius Exiguus (500-540). Quanquam non ab illis viris conscripti censendi sunt quorum nominibus inscribuntur (Theodoro, Beda, Egberto, Columbano...), aliquo modo repraesentant disciplinam illa aetate vigentem. Assignatur in illis paenitentia non illa quidem publica (nam maior Britannia usu paenitentiae publicae caruit), sed canonica, qua secreto plerumque fungerentur qui ad sollemnem reconciliationem fer. V ante Pascha accessuri essent. Ex his nihil clarius elucet quam semper fuisse in Ecclesia morem confitendi sacerdotibus peccata quaecumque gravia censerentur. S. Columbani († 615) *De Paenitentiarum mensura taxanda Liber*, *PL.*, 80, 223-230. *Theodori archiepiscopi Cantuariensis* († 690) *Paeni-*

tentiale, PL., 99, 927-980. *Paenitentiale S. Egberti* (S. IX); *S. Gatiani Turonensis* (S. X) etc... Cf. P. Fournier, *Étude sur les Pénitentiels, RHLR.*, 1901-4; B. Brat, *Les livres pénitentiaux et la pénitence tarifée,* Briguais, 1910. F. W. H. Wasserschleben, *Die Bussordnungen der abendländlichen Kirche,* Halle, 1851; H. J. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche,* t. 1, Mainz, 1883; t. 2, Düsseldorf, 1898.

Saec. IX. Concilia passim edixerunt ut, omissis libris paenitentialibus, ageretur paenitentia iuxta veteres canones, de publicis peccatis publice, de occultis occulte. Ita, anno 813, *Conc. Arelatense,* can. 26, Mansi, 14, 62 D; *Conc. Remense*, can. 31, ib., 80 B; *Conc. Cabilonense,* can. 25, ib., 98 D. Idem Concilium librorum paenitentialium auctoritatem vehementer impugnat, can. 38, 101 CD : « Modus autem paenitentiae peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem aut per ecclesiasticam consuetudinem... imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos paenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores, de quibus recte dici potest : Mortificabant animas quae non moriuntur et vivificabant animas quae non vivebant (*Ez.*, 13, 9). Qui dum pro peccatis gravibus leves quosdam et inusitatos imponunt paenitentiae modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas. »

Rabanus Maurus († 856); *De Clericorum institutione*, 2, 30, *PL.*, 107, 442.

Burchardus, Wormaciensis episcopus († 1025), *Decretorum Lib.* 19 (Corrector), *De Paenitentia, PL.*, 140, 949, 1014.

Petrus Damiani († 1072), *Ep.*, 5, 8, *Ad clericos Florentinos*, *PL.*, 144, 349-352 (De Paenitentiae christianae virtute et historia). *Opusc.*, 13, 6. *De perfectione Monachi*, *PL.*, 145, 298. *Opusc.*, 14, *De ordine Eremitarum,* ib., 331 D-332.

Prob. *III. Documentis Ecclesiae.*

Callistus, P. R., teste Tertulliano, *Pud.*, 1 (circa 220), *DB.*, 43.

Conc. Nicaenum (325), can. 13, *DB.*, 57.

Innocentius I, P. R., *Ad Exsuperium Tolosanum* (405), *DB.*, 95.

Caelestinus I. P. R., *Ad episcopos prov. Vienn. et Narbon.*, (428), *DB.*, 111.

Leo M., *Ad episcopos Campaniae* 459, *DB.*, 145; *Ad Theodorum Foroiuliensem* 452, *DB.*, 146.147.

Alexander II, *Ad Stephanum Alvernensem* (1066-7), *TDC.*, 1259.

Innocentius III, *Conc. Lateran.* IV (1215), *DB.*, 437.

Eugenius IV, *Conc. Flor., Decr. pro Arm.* (1439), *DB.*, 699.

Sixtus IV, *Adv. Petrum de Osma*, 5 (1478), *DB.*, 728.

Conc. Tridentinum, s. 6, c. 14 et can. 30 (1547), *DB.*, 807.840; s. 14, c. 2.5.8; can. 12-15; *DB.*, 895.899.904.922-5.

Pius V, *Adv. Baium* (1567), Prop. 59.77, *DB.*, 1059.1077.

Alexander VII, De vicaria hominis satisfactione, 15 (1665), *DB.*, 1115.

Alexander VIII, De absolutione satisfactione praemissa, prop. 16-18 (1690), *DB.*, 1306-8; De communione.., 22, *DB.*, 1312.

Clemens XI, *Bull.* « *Unigenitus* » (1713), *Prop. Quesnelli* 87, *DB.*, 1437.

Pius VI, *Adv. Pistor., Constt.* « *Auctorem fidei* » (1794), 34.35, *DB.*, 1534-5.

Benedictus XV, *CIC* (1917), c. 887.888, 1.

IV. *Ratione theologica.* — Ad plenam formam iudicii etiam reconciliativi pertinet aliqua poena, publica quidem auctoritate imposita, voluntarie autem suscepta, per quam satisfaciat homo Deo offenso, dum eius amicitiae tanto laboriosius adhaeret quanto culpabilius ab ea recessit. Unde S. Thomas, 3ª, q. 86 a. 4 : « Utrum, remissa culpa per paenitentiam, remaneat reatus poenae. — R. d. q. ... in peccato mortali sunt duo, sc. aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum inordinata. Ex parte ergo aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur; ex parte etiam conversionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius poenae, quia inordinatio culpae non reducitur ad ordinem iustitiae nisi per poenam : iustum est enim ut qui voluntati suae plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur : sic enim erit aequalitas.

Unde *Ap.*, 18. 7. dicitur : « Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. » Quia tamen conversio ad bonum commutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum quod debeatur ei poena aeterna. Unde, si sit inordinata conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, sicut est in peccatis venialibus, non debetur peccato poena aeterna, sed temporalis. Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, inquantum per gratiam anima Deo coniungitur. Unde et per consequens simul tollitur reatus poenae aeternae : potest tamen remanere reatus alicuius poenae temporalis. »

« Ad 1^m... culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo et conversionem ad bonum creatum. Sed... aversio a Deo est ibi sicut formale: conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale. Remoto autem formali cuiuscumque rei, tollitur species; sicut remoto rationali tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu poenae aeternae: remanet tamen illud quod est materiale, sc. inordinata conversio ad bonum creatum, pro qua debetur reatus poenae temporalis.

« Ad 2^m.., Remissio culpae et reatus poenae aeternae pertinet ad gratiam operantem; sed remissio reatus poenae temporalis pertinet ad gratiam cooperantem, in quantum sc. homo cum auxilio divinae gratiae patienter poenas tolerando, absolvitur etiam a reatu poenae temporalis. Sicut igitur prius est effectus gratiae operantis quam gratiae cooperantis, ita ita etiam prius est remissio culpae et poenae aeternae quam plena absolutio a poena temporali : utrumque enim est a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et libero arbitrio.

« Ad 3^m... Passio Christi de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum poenae, non solum aeternae sed etiam temporalis; et secundum modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem a reatu poenae. In Baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi, utpote per aquam et Spiritum Christi commortuus peccato, et in eo regeneratus ad novam vitam; et ideo in Baptismo homo consequitur remissionem reatus totius poenae. In Paenitentia vero consequitur virtutem passionis

Christi secundum modum propriorum actuum, qui sunt materia Paenitentiae, sicut aqua Baptismi... Et ideo non statim per primum actum paenitentiae, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius poenae, sed completis omnibus paenitentiae actibus. » — Cf. 1ª 2ᵃᵉ, q. 87 a. 4.5.6. Göttler, *Wirkungen des Busssakraments*, p. 74 sqq.

Ceterum opus poenale, quod ex arbitrio sacerdotis suscipitur, valere potest : 1. ex opere operato, tanquam pars integrans Sacramenti. Ad conciliandum reliquis etiam actibus paenitentis hunc valorem spectant verba Ritualis Romani : « Passio DNIC... merita BMV et omnium Sanctorum, *quidquid boni feceris et mali sustinueris*, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. » — 2. ex opere operantis : omnia enim opera hominis iusti possunt esse meritoria de condigno, a fortiori satisfactoria; non modo de se et in actu Iᵒ, sed etiam in actu IIᵒ et in acceptatione Dei. Ad rem. S. Th., *Quodlibet.*, 3, q. 13 a. 28: « Utrum satisfactio universaliter iniuncta a sacerdote sit sacramentalis. » S. Alphons., *L.* 6, 507; Suarez, *De Paen., Disp.* 38, s. 6 a. 7.

Ex dictis sequitur longe diversi pretii coram Deo esse opus satisfactorium, etiam a sacerdote iniunctum, si fiat ab homine iusto ac Dei amico, et si fiat ab homine non iusto. Immo S. Thomas videtur dicere huiusmodi operis, quod fiat ab homine non iusto, nullum esse pretium coram Deo. *In 4 d.*, 15, q. 1 a. 2 ad 1ᵐ; a. 3 sol. 1 et sol. 2 : « Quidam dixerunt quod, postquam omnia peccata per paenitentiam et contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, et in peccato existens satisfaciat, satisfactio ei valeat; ita quod, si in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Sed hoc non potest esse : quia in satisfactione oportet quod, amicitia restituta, iustitiae aequalitas restituatur, cuius contrarium amicitiam solvit... Aequalitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum aequivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius..; et ideo oportet quod, etsi offensa sit dimissa per praecedentem contritionem, opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis caritas. Et ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria. » — Similia apud veteres thomistas. — Sed recte ostendit Caietanus haec intellegenda esse de praesenti efficacia

operis satisfactorii, quod utique acceptum Deo non est absente caritate, sed tamen, utpote a sacerdote iniunctum, est non nihil in foro sacramentali, et quamvis hic et nunc mortuum, poterit vivificari et sortiri effectum suum, redeunte caritate. Vide eius *Opusc.*, t. 1, op. 6, *De satisfactione sacramentali*, ed. Bergomi, 1590, p. 98 B-100 B : q. 2 : « An pro contrito et confesso peccato imposita satisfactio, si exsolvatur in peccato mortali, sit iteranda » : p. 99 B-100 A : adductis rationibus affirmandi et negandi, solvit dubium indicando mediam quandam viam, secundum illam distinctionem quam diximus. Similiter Suaresius, *De Paen.*, *Disp.* 38, s. 8, ed. Paris, 1866, t. 22, p. 798 B-800 A : « Utrum necesse sit paenitentiam implere in statu gratiae », omnino colligit salvam esse substantiam obligationis sacramentalis quamvis, propter defectum gratiae, non possit esse hic et nunc accepta Deo et careat omni effectu ex opere operantis ; addit ut probabilius, secundum sententiam Caietani, Petri Soto, Victoriae, Navarri, redeunte gratia eiusmodi opus vivificari posse et edere effectum suum sacramentalem ex opere operato.

Sane paenitentes veteris Ecclesiae laborabant ut iustificarentur, non ut iam iustificati. Ita fert sententia nunc longe communior et sola historice fundata. Nonnulli olim opinati sunt in ipsa impositione paenitentiae publicae datam esse quandam absolutionem a culpa, et in fine solam absolutionem a poena. Sed eiusmodi sententia destituitur solidis argumentis, et nunc paene derelicta est. — *EC.*, p. 439.

Petrus de Osma, cum, appellata disciplina veteris Ecclesiae, nollet absolvi paenitentes nisi peracta paenitentia, Bulla Sixti IV damnatus est (18 aug. 1478). *DB.*, 728. Incumbentes in eandem partem severitatis Iansenistae et Pistorienses, pariter ab Alexandro VIII (7 dec. 1690) et Pio VI (*Constt. Auctorem fidei*, 28 aug. 1694) damnati sunt. *DB.*, 1306-8 ; 1534-5.

Scholion. — *De Indulgentiis.*

Ut complementum doctrinae ecclesiasticae de Paenitentia, merito habetur doctrina de Indulgentiis, quas Ecclesia certis operibus piacularibus consuevit adnectere. Eiusmodi doctrina in duplici fundamento Scripturae nititur : hinc in potestate clavium, quas Christus tradidit Apostolis et Apostolorum

heredibus: illinc in illis quae spectant ad thesaurum Ecclesiae.

Potestas clavium traditur *Mt.*, 16, 19; 18, 18; Io., 20, 23. Cf. Thes. I.

Theoria de thesauro Ecclesiae consequitur doctrinam de corpore mystico Christi et communione Sanctorum; in Evangeliis incohata, in Epistulis paulinis plene explicata. *Mt.*, 20, 28; *Mc.*, 10, 45. — 1 *Cor.*, 6, 20; 7, 23; *Eph.*, 2, 8-9; *Gal.*, 6, 2; *Col.*, 1, 24; 1 *Cor.*, 1, 12.13.25.26.27; *Rom.*, 12, 5; 2 *Cor.*, 2, 10. Est enim penes Ecclesiam, utpote corpus mysticum Christi et societatem sanctorum, repositus et eius dispensationi concreditus, thesaurus meritorum Christi et sanctorum, unde haurire possint qui, divina gratia praediti, bonorum caelestium sint participes. Hic thesaurus per potestatem clavium administratur et hominibus cum Christo reconciliatis suppeditat unde satisfaciant Deo pro peccatis sive suis sive fidelium defunctorum. Illius dispensationis initium videmus in intercessione martyrum, quibus plurimum tribuere solebat vetus Ecclesia. Tertullianus. *Ad Mart.*, 1 : « Pacem quidam in Ecclesia non habentes a martyribus in carcere exorare consueverunt. » *Paen.*, 10 : « Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere; condoleat universum et ad remedium collaboret necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo, cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas. Christum exoras. Aeque illi cum super te lacrimas agunt, Christus patitur. Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod Filius postulat. » De intercessione martyrum, cf. *EC.*, p. 244-251.

Origenes, *In Num., H.*, 10, 2, *PG.*, 12, 638-9. — Pacianus, *De Bapt.*, 5, *PL.*, 13, 1092-3. — Cyrillus Hier., *Cat.*, 23, 8-10, *PG.*, 33, 1116-7. — Augustinus, *CD.*, 20, 9, 2, *PL.*, 41, 673-4.

Summa doctrinae apud S. Th., *In 4 d.*, 20 q. 1 a. 3 sol. 2 : « Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria. — ... Quantitas effectus consequitur quantitatem suae causae. Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est alia nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio aut labor aut datum

recipientis, aut causa pro qua fit indulgentia. Unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant : et ideo, secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum, et unio eius cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per caritatem, et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt : fecerunt enim ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde, quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi.

« Et ideo... dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum valent quantum praedicantur, dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis caritas, ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. Nec in hoc nimis fit magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec iustitiae divinae derogatur; quia nihil de poena dimittitur, sed unius poena alteri computatur.

« Ad 1^m^ ergo d. q. clavis, sicut supra dictum est, est duplex, sc. ordinis et iurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est; et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine sed a Deo, ideo non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittat; sed tantum dimittitur quantum Deus ordinavit. Sed clavis iurisdictionis non est quid sacramentale, et eius effectus arbitrio hominis subiacet: et huius clavis effectus est remissio quae est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae... Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare quantum per indulgentiam de poena remittatur... »

Indulgentias etiam defunctis applicari posse sic ostenditur, *In 4 d.*, 45 a. 3 sol. 2 : « Indulgentia dupliciter alicui prodesse potest : uno modo principaliter, alio modo, secundario. Principaliter quidem prodest ei qui indulgentiam accipit, sc. qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicuius sancti : unde, cum mortui non possint aliquid facere eorum pro quibus indulgentiae dantur, eis indulgentiae directe valere non possunt. Secundario autem et indirecte prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiae causa, quod

(sicut *d. 20 q.* 1 a. 5 sol. 3 ad 2^m dictum est) quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiae formam. Si enim sit talis indulgentiae forma : Quicunque facit hoc vel illud, habebit tantum de indulgentia, ille qui hoc facit non potest fructum indulgentiae in alium transferre, quia eius non est applicare ad aliquid intentionem Ecclesiae, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiae valeant. Si autem indulgentia sub hac forma fiat : Quicumque fecerit hoc vel illud, ipse et pater eius vel quicumque ei adiunctus in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit : talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non enim est aliqua ratio quare Ecclesia possit transferre merita communia, quibus indulgentiae innituntur, in vivos et non in mortuos... »

Doctrina de Indulgentiis evoluta est *Decretis Ecclesiae :*

Bonifacius VIII, 22 feb. 1300, *Bulla iubilaei*, *DB*, 467.

Clemens VI, 25 ian. 1343, *Bulla iubilaei*, *DB.*, 550-2.

Conc. Constantiense et Martinus V, *adv. Wiclef*, n. 42, 22 feb. 1418, *DB.*, 622 ; *adv. Wicleffitas et Hussitas*, n. 26-28, *DB.*, 676-8.

Sixtus IV, *Adv. Petrum de Osma*, 9 aug. 1478, n. 6, *DB.*, 729.

Leo X, *Bull.* « *Exsurge, Domine* », *adv. Luther.*, 15 iun. 1520, n. 17-22, *DB.*, 757-762.

Conc. Tridentinum, s. 25, sub Pio IV, 4 dec. 1563, *DB.*, 989.

Pius IV, In *Professione fidei Tridentina*, 13 nov. 1564. *DB.*, 998.

Pius V, *Adv. Baium*, 1 oct. 1567, n. 60, *DB.*, 1060.

Innocentius XI, *Adv. Molinos*, 19 nov. 1687, n. 16, *DB.*, 1236.

Benedictus XIV, *Prof. fidei Orientalibus praescripta*, 26 mart. 1743, *DB.*, 1471.

Pius VI, *Adv. Pistorienses*, 28 aug. 1794, n. 40-43, *DB.*, 1540-3.

Benedictus XV, *CIC.*, 911-936; 1917.

Ad historiam, cf. Franz Beringer, *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch*, 14^te... Auflage, bearbeitet von Josef Hilgers, Paderborn, 1915. — N. Paulus, *Geschichte des Ablasses im Mittelalter*, 3 vol., Paderborn, 1922-3 (Opus magni momenti). — Art. *Indulgence*, in *DA.* (P. Galtier). — A. d'Alès, *La doctrine des Indulgences, Etudes*, 1915, sept.-oct. (3 art.).

CAPUT V

DE ABSOLUTIONE SACERDOTIS

THESIS XI

Absolutio Sacerdotis, in qua praecipue sita est vis Sacramenti Paenitentiae, est sententia efficax, vi cuius culpa remittitur et reatus poenae aeternae extinguitur. Hinc, licet verbis materialiter deprecativis aliquando expressa sit aut etiam nunc exprimatur, habet vim indicativam.

Quoniam, ut supra dictum est (thes. III), actus paenitentis sunt quasi materia Sacramenti Paenitentiae, absolutio autem Sacerdotis eiusdem Sacramenti forma, reliquum est ut illius elementi formalis describatur vis et operatio. Explicatur thesis per partes.

A. — *Absolutio* intellegitur ab illo *Sacerdote* data qui, praeter potestatem Ordinis, habeat potestatem iurisdictionis, sive ordinariam sive delegatam. Penes episcopos quidem primo fuit tota administratio Paenitentiae, non secus ac Baptismi; immo quodam modo magis : nam in NT videmus quosdam non sacerdotes aliquando baptizasse; non videmus absolvisse. Sed illius administrationis pars mature presbyteris commissa est, quod factum videmus iam saec. III°. Horum est exercere potestatem clavium, de qua thes. I.

Tertullianus iam montanista testificatur episcopo absolventi, *Pud.*, 18, 18 : « Salva illa paenitentiae specie post fidem, quae aut levioribus delectis veniam ab episcopo consequi poterit, aut maioribus et irremissibilibus a Deo solo. »

Videmus presbyteros, tempore persecutionis Decii, fungi ministerio reconciliandi paenitentes absente episcopo, aliquando etiam indiscrete et invito episcopo. Vide *Epp. Cypria-*

nicas 8.15.18.19.20. etc..; cf. etiam quae de Novatiano, Romanae Ecclesiae quondam presbytero, commemorat Ps. Cyprianus *Ad Novatianum*, 14, p. 64. Praeterea, quae de presbytero paenitentiae praeposito Romae, sub pontificibus Marcello et Eusebio 308-310, attulimus ex Libro Pontificali, in thes. VIII.

Ambrosius, *Paen.*, 1, 2, 7, *PL.*, 16, 468 AB : « Qui solvendi ius non habet, nec ligandi habet... Ecclesiae utrumque licet, haeresi utrumque non licet : ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet : haeresis vindicare non potest, quae sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipsa de se pronuntiat quod, cum sacerdotes non habeat, ius sibi vindicare non debeat sacerdotale. » — 2, 2, 12, 499 C : « Impossibile videbatur per paenitentiam peccata dimitti : concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. »

Narrat Socrates, *HE.*, 1, 10, *PG.*, 67, 101, Concilio Nicaeno interfuisse quendam Acesium, Novatianorum episcopum, a Constantino imperatore arcessitum : interrogatumque esse ab imperatore, cur a communione Ecclesiae catholicae recessisset. « Ille res sub Decio persecutionis tempore gestas commemoravit, et vigorem severae illius regulae protulit, eos sc. qui post Baptismum eiusmodi crimen admiserint, quod peccatum ad mortem divinae Scripturae pronuntiant, ad divinorum mysteriorum communionem admitti non oportere, sed ad paenitentiam quidem invitandos esse, remissionis vero spem non a sacerdotibus expectare eos debere, verum a Deo, qui solus ius potestatemque habet dimittendi peccata. Quae cum dixisset Acesius, subiunxit imperator : Pone scalam, Acesi, et in caelum solus ascende. » Haec Socrates, ex ipsa Novatianorum traditione accepta, refert.

Claves non soli Petro datae sunt, sed universae Ecclesiae. Augustinus, *In Io., Tr.*, 124, 7, *PL.*, 35, 1976 ; *Serm.*, 99, 9, *PL.*, 38, 600 ; *Serm.*, 295, 2, 1349 ; *Bapt. c. Don.*, 3, 18, 23 : 6, 3, 5 ; 6, 4, 6 ; 6, 14, 23, *PL.*, 43, 150.199.200.207. — Per sacerdotes autem administrantur.

Iam dictum est aliquando commissas esse diaconis partes quasi sacerdotales in administratione Paenitentiae : sed hoc praeter morem Ecclesiae. Nec nos fugit omnes christianos

esse lato quodam. sed vero sensu, sacerdotes (*I Pt.*, 2, 5. 9), cuius sacerdotii officio funguntur in mutua intercessione ad Deum. In illius universalis sacerdotii iure fundatur virtus absolutionis in necessitate a laico datae. quam B. Albertus M. non dubitavit « sacramentalem » dicere. Cf. post. thes. VIII, schol. II.

Thesis nostra respicit proprie dictum sacerdotium hierarchiae catholicae. non sacerdotium « charismaticum ». quod aliquando prophetis et confessoribus fidei tribuunt documenta veteris Ecclesiae. Ad charisma propheticum. non ad ullum ministerium reconciliationis, spectat *Did.*, 13, 3 : Δώσεις τὴν ἀπαρχὴν τοῖς προφήταις· αὐτοὶ γάρ εἰσιν οἱ ἀρχιερεῖς ὑμῶν. Neque ullam potestatem ordinis aut iuridictionis confessoribus fidei vindicat epistola Ecclesiae Lugdunensis apud Eusebium. *HE.*, 5, 2, 2-7, *PG.*, 20, 433-436; maxime 5, ed. Schwartz, p. 430, 4-8 : Ἐταπείνουν ἑαυτοὺς ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα, ὑφ' ἧς ἱκανῶς νῦν εἰσιν ὑψωμένοι. Τότε δὲ πᾶσι μὲν ἀπελογοῦνο, κατηγόρουν δὲ οὐδενός· ἔλυον ἅπαντας, ἐδέσμευον δὲ οὐδένα· καὶ ὑπὲρ τῶν τὰ δεινὰ διατιθέντων ηὔχοντο, καθάπερ Στέφανος ὁ τέλειος μάρτυς· Κύριε, μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. Ubi contextus satis ostendit agi unice de caritate excusante proximum, non de ulla potestate absolvendi. Ius quoddam intercessionis in confessoribus fidei semper agnovit Ecclesia; illud ius Tertullianus catholicus veneratus est, montanista aggressus est. Catholicus quidem scripserat *Ad Mart.*, 1, *PL.*, 1, 621 A : « Pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt ». Montanista autem scripsit, *De Pud.*, 22, *PL.*, 2, 1026 D-1027 B : « At tu iam et in martyras tuos effundis hanc potestatem... Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius?.. » In quo hierarchiam catholicam et martyres catholicos inique criminatur : nunquam enim illi contenderant mortem martyrum quicquam valere coram Deo nisi ex meritis ipsius Christi, qui prior mortem pro nobis pertulit atque omnem nobis salutem promeruit. Scripsit autem hoc cum iam omnem potestatem absolvendi sacerdotio hierarchico denegaret, ad sacerdotium charismaticum transferret; cf. 21, 1026 B : « Ecclesia quidem delicta donabit; sed Ecclesia Spiritus, per spiritalem hominem, non Ecclesia

numerus episcoporum : Domini enim, non famuli, est ius et arbitrium: Dei ipsius, non sacerdotis ». S. Cyprianus paulo post ius intercessionis in confessoribus fidei plane agnovit, sed intra iustos limites coercere studuit, et ambitiosos quorundam conatus reprimere, cum scriberet *Ep.*, 15, 4, p. 516, 4-7 : « Audio enim quibusdam sic libellos fieri ut dicatur : « Communicet ille cum suis » : quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et caeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet. » Et similia. Cf. *EC.*, p. 244-251 : 297-349.

Origenes, post Clementem Alexandrinum, solet cum quaestione de condonando peccato miscere quaestionem de intercessione sacerdotis apud Deum, ac propterea multum tribuit sanctitati ipsius sacerdotis. *De Orat.*, 28, *PG.*, 11, 528-9 ; *In Mt.*, *T.* 12, 14, *PG.*, 13, 1013; *T.* 13, 31, 1181 A. Cf. *EC.*, p. 283 sqq. Similia occurrunt passim in traditione graeca. Verum Ecclesia graeca plane sciebat ad remissionem peccatorum opus esse potestate sacerdotali. — Quaedam utilia apud K. Holl (protest.), *Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum*. Leipzig, 1898.

Definivit autem *Tridentina Synodus* hanc potestatem etiam in malis sacerdotibus existere. S. 14, c. 6, *DB.*, 902.

Ad veterem disciplinam pertinebat ut nemo reconciliaretur nisi in sua paroecia et a proprio sacerdote. Sic Regino Prumiensis abbas († 915), *De Ecclesiastica disciplina*, 1, 309, *PL.*, 132, 253 D : « Curandum summopere est ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum aut etiam presbyterorum in alterius civitate vel dioecesi paenitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris, ad cuius pertinet paroeciam, suscipiat. » Et hanc disciplinam retinuit *Conc. Lateranense* IV (1215), c. 21, *DB.*, 437 : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti... Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare... » Animadverte autem mutationem factam in *Conc. Tridentino*, a quo statuitur tantummodo, s. 14 (25 nov. 1551), c. 7, *DB.*, 904 : « ... Nullius momenti absolutionem esse debere quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut

subdelegatam non habet iurisdictionem. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere.., ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare... Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt... »

B. — In absolutione sacerdotis *praecipue sita vis Sacramenti*. Non quo negemus, ante prolata verba absolutionis, posse percipi gratiam remissionis (thes. VI); immo plane asserimus hanc esse maxime optabilem et optimam viam remissionis, quam concorditer commendaverunt Scholastici veteres. Sed asserimus (cum *Conc. Tridentino*, s. 14 c. 3, *DB.*, 896) hoc esse elementum formaliter significativum, quo proprie contineatur et declaretur fructus ille remissionis ad quem cetera elementa ordinantur tanquam ad legitimam conclusionem totius processus reconciliativi.

Hoc ex principio generali S. Thomas, 3ª, q. 84 a. 3 : « In qualibet re perfectio attribuitur formae. Dictum est autem (a. 1 ad 2^m) quod hoc Sacramentum perficitur per ea quae sunt ex parte sacerdotis. Unde oportet quod ea quae sunt ex parte paenitentis, sive sint verba sive facta, sint quaedam materia huius Sacramenti; ea autem quae sunt ex parte sacerdotis, se habeant per modum formae. Cum autem Sacramenta N L efficiant quod figurant.., oportet quod forma Sacramenti significet id quod in Sacramento agitur proportionaliter materiae Sacramenti... Hoc autem Sacramentum... consistit... in remotione cuiusdam materiae, sc. peccati... Talis autem remotio significatur a Sacerdote, cum dicitur : « Ego te absolvo »... Unde patet quod haec est convenientissima forma huius Sacramenti... »

Scholastici veteres in hac re plerumque peccaverunt per defectum, dum ad iustificationem etiam in Sacramento requirunt contritionem perfectam, et Ecclesiae relinquunt solum ministerium declarandi et ostendendi homines iustificatos. Ita

Petrus Lombardus, *4 d.*, 18, 5-6. *PL.*, 192, 887 : « Solus Deus dimittit peccata et retinet; et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi, sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui et animam mundat ab interiori macula et a debito aeternae mortis solvit. Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi et ligandi, i. e. ostendendi homines ligatos vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit: deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam vivificatum obtulit discipulis solvendum. Quia, etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiae solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis vel retinendis, ita operatur sacerdos evangelicus et iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra quae peccatum signat. »

Postea Scotus peccavit per excessum, dum, data definitione Sacramenti, *In 4 d.*, 14 q. 4 n. 2 : « Paenitentia est absolutio hominis paenitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a sacerdote iurisdictionem habente ex institutione divina, efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato », negat actus paenitenti ingredi ipsam essentiam sacramenti ut partes. *In 4 d.*, 16 q. 1 n. 7 : « Paenitentiae sacramentum est illa absolutio facta certis verbis. Huius autem nulla pars est contritio; quae est quoddam spirituale in anima; neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae sacerdotis, sed actus rei accusantis se; neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem sacramentalem. » Cf. dicta in thesi III.

Ad haeresim usque exorbitavit Lutherus dum, proposita iustificatione per solam fidem, nihili facit absolutionem sacerdotis. Prop. damnatae a Leone X, 15 iun. 1520, 11 et 12, *DB.*, 751.2.

S. Thomas intellexit et (quod veteres scholastici assecuti non erant) ad iustificationem in Sacramento sufficere illam attritionem quae tollat obicem gratiae, et (quod Scotus oblitus est) actus paenitentis esse aliquid de ipso Sacramento.

In 4 d., 18 q. 1 a. 3 sol. 1 : « ... Tota vis sacramentalis consistit in ministro... Unde eodem modo se habet potestas clavium, quae est in sacerdote, ad effectum Sacramenti Pae-

nitentiae, sicut se habet virtus quae est in aqua Baptismi ad effectum Baptismi. Baptismus autem et Sacramentum Paenitentiae conveniunt quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directe, quod non est de aliis Sacramentis : sed in hoc differunt, quia Sacramentum Paenitentiae, eo quod habet actus suscipientis quasi materiales, non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur praeparatio ad suscipiendum effectum Sacramentorum : sed Baptismus quandoque datur adultis, et quandoque pueris et aliis carentibus usu rationis : et ideo per Baptismum datur gratia et remissio peccatorum pueris sine aliqua sui praeparatione praecedente : non autem adultis, in quibus praeexigitur praeparatio removens fictionem : quae quidem praeparatio quandoque praecedit, sufficiens ad gratiae susceptionem, antequam Baptismus actu percipiatur, sed non ante votum Baptismi, post tempus propalatae veritatis. Quandoque autem talis praeparatio tempore non praecedit, sed est simul cum Baptismi susceptione; et tunc per Baptismi susceptionem gratia remissionis culpae confertur. Sed per Paenitentiae Sacramentum nunquam datur gratia nisi praeparatio adsit vel prius fuerit : unde virtus clavium operatur ad culpae remissionem vel in voto existens vel etiam in actu se exercens, sicut et aqua Baptismi... Unde, si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret... » — *d.*, 22 q. 2 a. 1 sol. 3 : « Res sacramenti alicuius ultima est non tantum quam efficit actualiter dispensatum, sed etiam quam effícit in propositio existens, sicut patet de Baptismo in adultis : et ideo cum paenitentia in proposito existens Sacramentum efficiat remissionem peccatorum non solum quoad poenam, sed etiam quoad culpam, remissio peccatorum utroque modo est res ipsius paenitentiae Sacramenti; quae aliquando tempore praecedit Sacramentum exterius, aliquando autem in ipso Sacramento efficitur : quia quando aliquis accedit ad confessionem attritus, non plene contritus, si obicem non ponat, in ipsa confessione et absolutione sibi gratia et remissio peccatorum datur... » — *Quodlib.*, 4 q. 7 a. 10 : « ... Si quis in ipsa absolutione incipit conteri et claves Ecclesiae habere in voto, in ipsa absolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quae infunditur in hoc

Sacramento sicut et aliis Sacramentis NL., unde quandoque contingit quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui Sancto: et idem est in aliis Sacramentis NL., in quibus gratia confertur. »

C. — Absolutio Sacerdotis *sententia efficax*. Efficacem intellegimus sententiam, quae non consistat in nuda pronuntiatione et declaratione, sed vere sit operatrix remissionis peccatorum. Eiusmodi efficaciam asserimus: 1, Contra veteres quosdam Scholasticos, nimis coartantes ministerium clavium; 2, Contra haereticos saec. XVI, illud funditus evertentes aut tantum specie tenus retinentes. — Inter utrosque plurimum interest: nam Scholastici ministerium clavium plane agnoscunt, tantummodo in eius explicatione deficiunt: haeretici contra illud negant. Asserimus autem peccata dimissa ita exstingui ut nunquam redeant, quamvis possit homo in eadem aut etiam maiora peccata relabi.

Asserta Scholasticorum accipi possunt ex Lombardo (vide supra, sub B), *4 d.*, 18, 5.6, *PL.*, 192, 887; et aliis, apud Schmoll, *op. cit.* - Petrus Pictaviensis † 1205), qui in Baptismo meminit « operis operati », *Sent.*, 5, 6, *PL.*, 211, 1235 C, in Sacramento Paenitentiae minus recte loquitur, *ib.*, 3, 16, 1073: « Deus dicitur dimittere peccata, quia animam omnino mundat a peccato et eam mortificatam suscitat et solvit prorsus a reatu peccati... Item dicitur Deus dimittere vel solvere peccata quantum ad poenam, quia liberat hominem a poena aeterna, et ita duobus modis dimittit et solvit peccata... Sacerdos autem peccatum non solvit, nec quantum ad poenam nec quantum ad reatum, sed solvit et dimittit, i. e. ostendit esse solutum et dimissum a Deo quantum ad reatum. Quia vero nescit ipsum esse dimissum quantum ad poenam, iniungit ei poenam temporalem. » — Alexander Alensis, *Summa*, p. 4 q. 21 m. 1, ed. Venet, 1575, t. 4, p. 339 RB: « ... Si quaeratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum est quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis absolutionem; sed per modum impertientis, nequaquam. Quoniam ergo potestas sonat in actionem impertientem ex se, potest dici convenienter et vere quod non extendit se supra culpam... » —

S. Bonaventura. *In 4 d.*, 18, p. 1 a. 2 q. 1 : « ... Nunquam sacerdos absolveret quemquam de quo non praesumeret quod esset absolutus a Deo. Si ergo quaeratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis, et illud signatum est in benedictione sacerdotum; sed per modum imperantis, non. Quoniam ergo potestas sonat per modum activi et imperantis ex se, hinc est quod potestas clavium, proprie loquendo, non se extendit supra culpam. »

Abaelardus iniuriam fecit potestati clavium, dum negat ad omnes episcopos transisse donum a Christo datum Apostolis. *Ethic.*, 26, *PL.*, 178, 673 CD. — Cf. *Conc. Senonense* 1140, n. 12, *DB.*, 379.

Lutherani absolutionem privatam retinuerant, ad erigendam quodammodo hominum conscientiam, non ad quidquam aliud. *Conf. Augustana* (1530), art. 11-12.

Probatur haec pars thesis. I. *Scriptura*. — Efficacem sententiam omnino requirit vis verborum institutionis, *Io.*, 20, 23 : Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται.

II. *Patribus*. — Sententiam efficacem requirit 1) interpretatio a Patribus data verbis institutionis. 2 Parallelismus Paenitentiae cum Baptismo, tota traditione christiana assertus. Baptismus enim est quaedam spiritualis generatio; Paenitentia oportet sit quaedam suscitatio hominis post Baptismum spiritualiter mortui. 3) Statu controversiae cum Montanistis, Novatianis, et ceteris negatoribus potestatis clavium. Cf. thes. I et II. — Callistus, ap. Tert., *Pud.*, 1 : « Ego... delicta paenitentia functis remitto. »

III. *Definitione Ecclesiae*. — *Conc. Trid.*, s. 14 c. 6, *DB.*, 902 : « ... Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata: sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur... » Cf. can. 9, *DB.*, 919.

IV. *Ratione theologica*. — Sacramentorum NL proprium est ut sint signa efficacia gratiae, quatenus id operantur quod significant. Atqui Sacramentum Paenitentiae significat remissionem peccatorum. Ergo efficaciter operatur remissionem peccatorum. Nunquam defuerunt in Schola Doctores qui potes-

tatem clavium ad sententias efficaciter ferendas valere asserent.

S. Bernardus. *In festo ss. Apostol. Petri et Pauli Sermo* 1, 2, *PL.*, 183, 406 D : « ... Petrus claves regni caelorum tam singulariter accepit, ut praecedat sententia Petri sententiam caeli. »

Uterque Victorinus. Hugo († 1141, *De Sacramentis christ. fidei*, 2, 8, *PL.*, 176, 564 C-570 B : « Potestatem remittendi peccata quidam soli Deo ita adscribere conantur ut in ea hominem participem fieri posse nullo modo concedant... Nos verisimile confitemur sacerdotes Dei in Ecclesia potestatem habere ligandi atque solvendi, non perfunctorie et inusitato quodam genere loquendi significatam, sed veraciter a Deo concessam, quibus dictum est : Quorum remiseritis peccata... » — Ricardus († 1173, *De pot. ligandi et solvendi*, 12, *PL.*, 196, 1168 AB : « Exstat quorundam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola ut ridenda videatur potius quam refellenda. Putant enim et praedicant sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit : Quodcumque ligatum ostenderis erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderis erit solutum?... Dicunt quia in remittendis vel retinendis culpis, id iuris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim sub Lege habebant legales in curandis leprosis. Non autem habebant illi legales potestatem curandi, sed iudicandi et ostendendi utrum essent an non essent, qui putabantur, leprosi. Ecce concedimus quod isti et illi idem habent officium, illi discernendi inter lepram et lepram, isti diiudicandi inter culpam et culpam... »

S. Thomas iunior nondum audet aperte recedere a vestigiis Magistri, sed conatur illum interpretari benigne. Vide quae docet *In 4 d.*, 18. Parallelismum in operatione Baptismi et Paenitentiae persequitur, negat autem Sacramentum operari plus quam dispositive, q. 1 a. 3 sol. 1 : « ... Sicut Baptismus non agit ut principale agens, sed ut instrumentum, non quidem pertingens ad ipsam gratiae susceptionem causandam etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam, per quam fit remissio culpae; ita est de potestate clavium. » Senior autem protulit maturiorem sententiam. 3ª, q. 84 a. 3 ad 3ᵐ : « Solus Deus per auctoritatem et a peccato absolvit et peccatum remit-

tit: sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium, inquantum sc. verba sacerdotis in hoc Sacramento sacramentaliter operantur in virtute divina, sicut etiam in aliis Sacramentis (cf. q. 62 a. 4; q. 64 a. 1 et 2).. » — Ib., ad 5[m] : « Ista expositio : « Ego te absolvo », i. e. absolutum ostendo, quantum ad aliquid quidem vera est, non tamen est perfecta. Sacramenta enim N L non solum significant, sed etiam faciunt quod significant. Unde, sicut sacerdos, baptizando aliquem, ostendit hominem interius ablutum per verba et facta, et non solum significative, sed etiam effective, ita etiam cum dicit : « Ego te absolvo », ostendit hominem absolutum non solum significative, sed etiam effective. Non tamen loquitur quasi de re incerta; quia, sicut alia Sacramenta NL habent de se certum effectum ex virtute passionis Christi, licet possit impediri ex parte recipientis, ita etiam in hoc Sacramento... » — Ergo Baptismum et Paenitentiam operari instrumentaliter ad causandam ipsam remissionem peccatorum ac non tantum dispositionem ad illam. S. Thomas iunior negaverat, senior asseruit. Haec posterior eius certa rataque sententia, cui adhaerendum censemus.

Ex dictis habes quomodo interpreteris quae ex Patribus aliquando afferuntur contra doctrinam de absolutione efficaci; v. g. Firmilianus, *Inter Epp. cyprian.*, 75, 4, p. 812, 24-29; Ambrosius, *De Spir. S.*, 3, 18, 137, *PL.*, 16, 808 D-809 A; Hieronymus, *In Mt.*, (16, 19) *L.*, 3, 16, *PL.*, 26, 118 AB. Haec quidem eo spectant ut Dei principalis operatio asseratur, non ut humani ministerii efficacitas negetur; ut omnium Patrum aequalium atque etiam horum ipsorum auctoritatibus facile ostendi potest.

D. — Vi absolutionis *culpa remittitur et reatus poenae aeternae extinguitur.* — S. Th., 3[a], q. 86 a. 4 : iam recitatum in thesi X. — Ceterum, id intellege « clave non errante » h. e. quatenus homo capax est remissionis. Accidere enim potest ut Paenitentiae arbiter fallatur in iudicio ferendo de dispositionibus paenitentis. Qui indispositus absolvitur, non absolvitur efficaciter.

E. — Absolutio *aliquando verbis materialiter deprecativis, vi autem indicativa.*

Ecclesiae Orientales pleraeque ad haec usque tempora utuntur forma absolutionis deprecativa. Exemplo sit *Euchologium Graecorum*. Ἐπὶ μετανοούντων εὐχή. Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, Υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. Οἰκτίρμων καὶ Ἐλεήμων, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὁ τὸ δάνειον χαρισάμενος τοῖς ὀφειλέταις, καὶ τῇ ἀμαρτωλῷ δοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν αὐτῆς, αὐτὸς Δέσποτα ἄνες, ἄφες, συγχώρησον τὰς ἁμαρτίας, τὰς ἀνομίας, τὰ πλημμελήματα τὰ ἑκούσια καὶ τὰ ἀκούσια, τὰ ἐν γνώσει, τὰ ἐν ἀγνοίᾳ, τὰ ἐν παραβάσει καὶ παρακοῇ γενόμενα παρὰ τῶν δούλων σου τούτων... Huius orationis partem praecipuam recitabat Ioanni Morino Romae degenti circa ann. 1640 sacerdos quidam graecus, Chius natione. Morinus, *De admin. Sacr. Paen.*, 8, 12, 7; et quos ibi laudat auctores.

Denzinger, *Ritus Orientalium*, t. 1, 101, Wirceburgi, 1863 : « Forma absolutionis apud Orientales catholicos et non catholicos, si solos Armenos excipias, deprecativa est. » Armenis quidem idem fuit mos ac ceteris Orientalibus; vide documentum ad eos iussu Benedicti XII transmissum A. D. 1341, n. 40, *DB.*, 538. Sed ipsi postea usum suum mutaverunt. Vide eorum responsum ap. Mansi, 25, 1226 AC; *Supplem. Conc.*, 3, 488 : « Pro forma absolutionis, sciendum est quod, licet intentio sacerdotis et illius qui confitetur eadem est sicut vestra, quia sacerdos intendit dare et populus recipere remissionem peccatorum, tamen formam non perfecte ponebant, sed sic dicebant ut supra dictum est. Sed ex tunc quod habuimus notitiam Romanae Ecclesiae, multi de nobis addiscentes formam eius cum eadem forma facimus remissionem peccatorum et docemus alios facere. »

Nunc non desunt inter Orientales non unitos qui utantur forma absolutionis indicativa : Iacobitae, Armeni, Coptae, ut videtur; certo Russiaci et Rumeni. Inter Unitos, Rutheni, Rumeni, Graeci in partibus Europae degentes; in Asia, Armeni et Maronitae. *DTC.*, art. *Absolution*, 205 sqq., Galtier, § 504.

In Ecclesia Latina, multa suadent ab origine viguisse usum formae deprecativae cum impositione manuum. Tertullianus, *Paen.*, 9, 10; Cyprianus, *Laps.*, 36, p. 263, 25-27; *Epp.*, 15, 1; 16, 2; 17, 2; 18, 1, pp. 514, 9-13; 518, 7-519, 5; 522, 7-12; 524, 3-8; Ambrosius, *De Spir. S.*, 3, 18, 137, *PL.*, 16, 809; Hieronymus, *C. Lucifer.*, 5, *PL.*, 23, 159A; Augustinus, *Serm.*, 99, 8-9, *PL.*, 38, 599-600; *Bc D.*, 3, 16, 21, *PL.*, 43,

149 : « Manus impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est aliud nisi oratio super hominem?... » *BcD.*, 5, 20, 8, 190 ; *De Trin.*, 15, 26, 46, *PL.*, 42, 1093-4; Leo M., *Ep.*, 168, 2, *PL.*, 54, 1211. *Sacramentarium Gelasianum*, *Oratio super paenitentem reconciliandum*, *PL.*, 74, 1096-7 ; *Liber Ordinum Mozarabicus*, ed. Ferotin, p. 90-100; *Sacramentarium Gregorianum*, *PL.*, 78, 452 sqq. Subsecutis temporibus, forma deprecativa sola viguit usque ad saec. X.

Duchesne, *Orig. cult. chrét.*, p. 447 sqq. *De libris paenitentialibus ;* Schmitz, 1, p. 94 sq. et passim. Hi omnes Ordines tradunt ad reconciliationem paenitentium in Cena Domini formam deprecativam. Immo, saec. XIII, adversarius ille quem S. Thomas impugnavit *Opusculo De forma absolutionis*, dicere ausus est : « Vix triginta anni sunt quod omnes hac sola forma deprecativa utebantur. » c. 5. — Contra, vehementer contendit S. Thomas, c. 1 : « In Sacramento Paenitentiae verba Scripturae, quae maxime sectanda sunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis verbo indicativo utuntur. Non enim dixit : Quaecumque petieris solvenda, erunt soluta, sed : Quaecumque solveris, erunt soluta. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta quae habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum non solvit, miror qua temeritate aliquis asserat esse solutum quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. » In 3ª, q. 84, a. 3. « Utrum haec sit forma huius Sacramenti : « Ego te absolvo », ad 1ᵐ : « Ista forma assumitur ex verbis Christi, quibus Petro dixit : « Quodcumque solveris super terram... » ; et tali forma Ecclesia utitur in sacramentali absolutione : huiusmodi autem absolutiones in publico factae non sunt sacramentales, sed sunt orationes quaedam ordinatae ad remissionem venialium peccatorum. Unde in sacramentali absolutione non sufficeret dicere : « Misereatur tui O. D. » ; vel : « Absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus » : quia per haec verba Sacerdos absolutionem non significat fieri, sed petit ut fiat. » Post illam aetatem, omnino invaluit in Occidente usus formae indicativae. *Conc. Florentinum, Decr. ad Armenos* (1439), *DB.*, 699 : « Forma huius Sacramenti sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert cum dicit : « Ego te absolvo... » Vide Caietanum,

In 3, q. 84 a. 3 ad 5^m^: Suaresium, *Disp.*, 18, s. 1, 10; 19, s. 2, 20, formae latinae vim indicativam vindicantes.

De sacerdotibus autem graecis in Italia australi degentibus et agentibus plerumque cum Graecis, aliquando etiam cum Latinis hominibus, prodiit Instructio Clementis VIII 31 aug. 1595, in qua legitur, n-9 : « In casu necessitatis, presbyteri graeci catholici possunt Latinos absolvere. Utantur forma absolutionis in Concilio generali Florentino praescripta: et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt ». *Bull. Rom.*, ed. Taur., 10, 212. Quibus verbis et validitas formae veteris deprecativae inter Graecos comprobatur et usus formae recentioris indicativae inter Latinos praecipitur. Accessit confirmatio Benedicti XIV, *Const.* « *Etsi pastoralis* » 26 mai 1742, 5. 5. *Decreto autem S. Officii*, 6 sept. 1885, mandatum est Graecis et ceteris Orientalibus ut in absolvendis Latinis suam ipsorum formam retinerent. *DTC.*, 1, 202 (P. Michel, 1899).

Iamdiu illicitus evasit inter Latinos usus formae deprecativae. Num etiam invalidus, controverti potest. Dom. Soto, *In 4 d.*, 3, q. un., a. 5 : « In Sacramento Paenitentiae, licet quis diceret : Absolvit te, vel Absolvat te Christus, vere absolveret, quamvis peccaret. » In eandem partem argumentatur Galtier, § 506. Longe tamen communius negatur. Suarez, *Disp.*, 19 s. 1 n. 25; Lugo, *Disp.*, 13 s. 4; Billot, th. 3, fin : Pesch, § 294-6.

Minime vero dubium est quin vis indicativa semper fuerit in mente Ecclesiae. Ad totum ministerium clavium transferri possunt verba S. Hilarii, Doctoris Pictaviensis, de Petro Apostolo, *In Mt.*, c. 16 n. 7, *PL.*, 9, 1010 A : « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernas leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret! O beatus caeli ianitor, cuius arbitrio claves aeterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium praeiudicata auctoritas sit in caelo : ut quae in terris aut ligata sint aut soluta, statuti eiusdem condicionem obtineant et in caelo! »

Manus impositionem non requiri monet S. Thomas, 3^a^, q. 84 a. 4. — De illo ritu, cf. Ios. Coppens, *L'imposition des mains et les rites connexes dans le NT. et dans l'Eglise ancienne*, p. 374-392; Louvain, 1925.

De absolutione sacramentali Decreta Ecclesiae.

Callistus circ. 220, ap. Tertullianum. *Pud.*, 1 : *DB.*, 43.

Innocentius I, *Ad Exsuperium Tolosanum* (20 febr. 405, *DB.*, 95 : De paenitentibus in extremo fine vitae.

Leo M., *Ad Theodorum Foroiuliensem* (11 iun. 452, *DB.*, 146-7 : De reconciliatione sacerdotis.

Innocentius III, *Prof. fidei Waldensibus praescripta* 1208, *DB.*, 424. — *Lateranense* IV (1215), c. 1, *DB.*, 430 : Peccatum per veram potest semper paenitentiam reparari. — c. 21, *DB.*, 437 : Praeceptum confessionis annuae.

Martinus V, in *Constantiensi*, *Ad Wicleff. et Hussit.* (22 febr. 1418), n. 20, *DB.*, 670.

Eugenius IV, in *Florentino*, *Ad Armenos* (22 nov. 1439), *DB.*, 699.

Sixtus IV, *Adv. Petrum de Osma* 9 aug. 1478, n. 1, *DB.*, 724.

Leo X, *Adv. Lutherum* (15 iun. 1520), prop. 11-13, *DB.*, 751-3.

Conc. Tridentinum, s. 6 (13 ian. 1547), c. 14, *DB.*, 807 : *De lapsorum reparatione;* can. 29-30, *DB.*, 839-840. — s. 14 (25 nov. 1551), c. 3.6.7, *DB.*, 896.902.903; can. 3.9.10.11, *DB.*, 913. 919.920.921. — s. 23 (15 iul. 1563), *De reformatione*, c. 15, *TCD.*, 1240.

Pius V, *Adv. Baium* (1 oct. 1567), prop. 57-58, *DB.*, 1057-8.

Clemens VIII, *Decr. S. Off.* 20 iun. 1602, *DB.*, 1088 : *De absolutione absentis.*

Paulus V, *Decr. S. Off.* (14 iul. 1605), *DB.*, 1089 : *De eadem re, ac de moribundo.*

Alexander VII, (*Decr.* 24 sept. 1665), prop. damn. 13-16, *DB.*, 1113-6 : *De necessitate approbationis.* — (*Decr.* 18 mart. 1666), prop. 44, *DB.*, 1144 : *De absolutione a censuris.*

Alexander VIII, *Decr. S. Off.*, 7 dec. 1690, prop. damn. 20, *DB.*, 1310 : *De confessionibus apud religiosos factis.*

Pius VI, *Adv. Pistorienses* (28 aug. 1794), prop. 37-38, *DB.*, 1537-8 : *De auctoritate absolvendi ;* — 44-45, *DB.*, 1544-5, *De reservatione casuum.*

Benedictus XV, *CIC* (1917), 871.900.905.

Scholion I. — *Quid sit in Sacramento Paenitentiae « res et sacramentum ».*

Post Magistrum Sententiarum, *4 d.*, 22, 3, *PL.*, 192, 899, hanc quaestionem breviter solvit S. Thomas, 3ª q. 84 a. 1 ad 3ᵐ : « Etiam in Paenitentia est aliquid quod est sacramentum tantum, sc. actus exterius exercitus tam per peccatorem paenitentem quam etiam per sacerdotem absolventem : res autem et sacramentum est paenitentia interior peccatoris : res autem tantum et non sacramentum est remissio peccati : quorum Iᵐ totum simul sumptum est causa IIª : Iᵐ autem et IIᵐ sunt quodammodo causa IIIª. »

Secundum analogiam omnium Sacramentorum, « res et sacramentum » est illud elementum significativum quo proxime disponitur homo ad susceptionem gratiae sacramentalis, quae est « res tantum ». Illud elementum, in Sacramentis characterem imprimentibus, est character. In Sacramento autem Paenitentiae, quod non imprimit characterem, paenitentia interior est id quo proxime disponitur homo ad suscitationem primae gratiae in Baptismo acceptae. Quod amplius explicat S. Thomas, *In 4 d.*, 22, q. 2 a. 1 sol. 1 : « ... In eo qui post Baptismum mortaliter peccat, spiritualis vitae firmitas tollitur, quia gratia et caritas tolluntur; sed tamen adhuc spiritualis vita manet in radice sui, sc. in fidei Sacramento; sicut in eo qui infirmatur perniciose, adhuc manet radix vitae in corde : et ideo ad reparationem pristinae integritatis in Baptismo susceptae, homo cooperari potest per id quod adhuc retinet. » Cooperabitur autem suscipiendo motus paenitentiae a Deo sibi immissos, ut spiritualiter resurgat : in quibus consistit res et sacramentum Sacramenti Paenitentiae.

Novum systema nuper invexit B. Xiberta, O. Carm. C., *Clavis Ecclesiae. De ordine absolutionis sacramentalis ad reconciliationem cum Ecclesia*. Romae, 1922. Summam sic proponit, p. 96 : « Reconciliationem cum Ecclesia esse rem et sacramentum Sacramenti Paenitentiae. » Conatur autem assertum confirmare auctoritatibus Patrum.

Systema videtur falsum, et ordo interpretationis Patrum praeposterus. Nunquam enim venit Patribus in mentem ut homines ad pacem cum Deo proxime disponerent concessa pace cum Ecclesia, sed vice versa; cum omnis pacis divina auctoritate concessae principium efficax sit gratia divina. Licet autem per accidens fieri possit ut SS. Eucharistia fiat homini peccatori, bona fide accedenti, causa Iᵃᵉ gratiae, id nullatenus

pertinet ad legitimum ordinem a Christo institutum: neque unquam venit Patribus in mentem ut homini peccatori darent SS. Eucharistiam tanquam instrumentum iustificationis: cum contra in actu reconciliationis detur SS. Eucharistia peccatori tanquam pignus et sigillum divinum pacis etiam cum Ecclesia iam restitutae. Cf. de eodem opere recensionem nostram in *RSR.*, 1922, p. 372-7. Quae dicta sint sine ulla offensione scriptoris, verum sincere quaerentis.

Scholion II. — *De confessione valida et informi.*

Validum et informe intellegitur Sacramentum quod valide quidem administratum est, sed, propter obicem aliquem in subiecto existentem, non exerit hic et nunc fructum gratiae: sed fructus ille manet interim suspensus donec, sublato obice, subiectum fiat capax gratiae : quae dicitur reviviscentia Sacramenti. Exemplum clarissimum Baptismi, ad quem si quis accedat « fictus », i. e. ex mala conscientia, percipiet quidem Baptismum et insignietur charactere, in quo consistit « res et sacramentum » Baptismi; sed, donec convertatur, carebit gratia, quae est « res tantum » Baptismi. Doctrina de Baptismo valido et informi inde a S. Augustino communis est, et traditur a S. Thoma, 3ª q. 69 a. 9 et 10. Doctor Angelicus ad alia Sacramenta extendit illam doctrinam. Num etiam Sacramento Paenitentiae conveniat, controvertitur. Qui affirmant, afferunt locum S. Thomae, *In 4 d.*, 17, q. 3 a. 4 sol. 1 (= *Suppl.*, q. 9 a. 1) :

« Confessio est actus virtutis et pars Sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius proprie; et sic confessio non valet sine caritate, quae est principium merendi. Sed secundum quod est pars Sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem qui habet claves Ecclesiae, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit; et secundum hoc, confessio etiam potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere et clavibus Ecclesiae se subicere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in aliis Sacramentis : unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri. »

Eandem viam ingressus erat B. Albertus M., *In 4 d.*, 17,

a. 6, ed. Paris. 1890. t. 19. 665. Sed salebrosus est locus. Consentiunt omnes neque fructuosam neque validam esse posse illam absolutionem quae percipiatur sine confessione formaliter integra aut cum conscientia non verae attritionis; immo eiusmodi absolutionem addere peccatis iam commissis novum sacrilegium, ac propterea totum Sacramentum repeti oportere, incipiendo a confessione integra omnium peccatorum. Unde controversia ad hoc coartatur : potestne in aliqua hypothesi fieri ut absolutio percipiatur sine sacrilegio et tamen sine fructu, ex aliquo defectu non graviter culpabili, ita ut, sublato illo defectu, absolutio praeterita incipiat exerere virtutem suam ad remissionem peccatorum, sine nova confessione?

1, Haec potissimum hypothesis occurrit, si quis, integre confessus, absolvatur bona fide, cum attritione existimata, non tamen vera et sufficiente ad remissionem in Sacramento. Data hypothesi, homo non peccat, siquidem bona fide agit; non autem iustificatur, siquidem caret necessaria attritione; retinet tamen beneficium confessionis factae, ita ut, si aliquando perveniat ad veram contritionem, percipiat fructum absolutionis praeteritae, sine nova confessione. Erit vero subicienda clavibus « fictio », i. e. defectus debitae contritionis in praeterita confessione, si conscius illius factus fuerit : nam illa fictio, quamvis materialis tantum, non formalis, ac propterea expers sacrilegii, pertinebat ad statum conscientiae in praeterita confessione necessario declarandum, si tunc fuisset intellectus : postquam intellecta erit, erit etiam declaranda.

Ita fere clari Thomistae, ut S. Antoninus, *In 3^am^ Summae*, tit. 14 c. 19; Caietanus, *Opusc.*, t. 1, 5, *De confessione*, q. 5. ed. Bergomi, 1590, p. 96-97...; Card. Billot, *De Sacramentis*, t. 2^a^, p. 169-179, apud quem inveniri possunt, p. 169-170. multa nomina auctorum qui (plus minus) ita sentiunt.

Paulo aliter Suaresius, *Paen., Disp.*, 20, s. 5 n. 7 sqq., ed. Paris. 1866, t. 22, p. 449 B; Conetus, *De Paen., Disp.*, 10 a. 1, ed. Antverp. 1725, t. 5, p. 378 A-380 B; S. Alphonsus, *De Paen.*, 6, 444; Pesch, § 173; Lehmkuhl, *TM.*, 2, n. 402. Hi admittunt hypothesim attritionis deficientis non intensive, sed extensive, quia ex motivo particulari conceptae, ita ut non extendatur ad omnia peccata mortalia.

Res habet aliquid utilitatis. Suppeditat enim fundamentum

dogmaticum cur possit non inquietari paenitens hic et nunc confessus cum attritione quae videatur sufficiens, quamvis adsit suspicio praeteritas eius confessiones fuisse infructuosas propter defectum attritionis. Sane prope infinitus est numerus eorum de quorum attritione merito dubitatur. Hoc fundamento admisso, paenitens bona fide percipiet fructum absolutionum praeteritarum sine nova confessione.

2) Alii theologi hoc fundamentum non admittunt. Nihil statuunt medium inter attritionem obiective sufficientem, quae faciat Sacramentum validum simul et fructuosum, et attritionem obiective insufficientem, quae faciat Sacramentum reapse nullum. Ita Palmieri, *Paen.*, p. 358, et alii. Huic parti magis favere videtur Galtier, cuius lege in hoc punctum disputationem, § 404-407.

Nodus quaestionis est hic: remanetne confessio in acceptatione Dei tanquam pars Sacramenti, quamvis ipsum Sacramentum defecerit, propter inculpabilem defectum contritionis? — Rationes utrinque urgeri possunt. Sane dispar est condicio Sacramenti Paenitentiae et Sacramenti characterem imprimentis. Sed tamen est quoddam Sacramentum characterem non imprimens, quod merito existimatur validum et informe : Extrema Unctio, propter defectum inculpabilem attritionis, non producit gratiam: sed tamen eius efficacia manet suspensa et, superveniente attritione, poterit producere gratiam. Quapropter ab Ecclesia non iteratur in uno et eodem morbo.

Discrimen utriusque sententiae, theoretice non mediocre, practice minuitur, admissa utriusque probabilitate. Nam plerumque sacerdoti parum constat quantum sit verae attritionis in paenitente. Ad eius officium pertinet ut, quantum poterit, excitet eum ad perfectissimam contritionem. Postquam illo officio functus erit, plerumque non urgebit necessitatem repetendi confessiones praeteritas, bona fide factas : sive, secundum I^{am} sententiam, ex principio dogmatico : confessiones illas, quamvis fortasse informes, potuisse esse validas ; sive, secundum II^{am} sententiam, ex principio practico : confessiones illas, quamvis fortasse invalidas, praesenti contritione cooperiri, nec constare de necessitate singula repetendi.

THESIS XII

Peccata semel dimissa non redeunt. Ad effectum autem Sacramenti Paenitentiae pertinet etiam poenae temporalis remissio maior minorve pro cooperatione suscipientis; reliquiarum peccati destructio; virtutum restitutio; reviviscentia meritorum.

Effectus primarius Sacramenti Paenitentiae consistit in remissione actuali culpae mortalis et extinctione reatus poenae aeternae; de quibus th. XI. Accedunt autem effectus secundarii, de quibus dicendum superest. S. Thomas hanc materiam tractavit adulescens, *In 4 Sent.*, d., 14-22; maturior in *Summa theologica*, 3ª, q. 86-89.

A. *Peccata dimissa nunquam redeunt.*

Error fuit quorundam, ut Hugonis de S. V., *De Sacramentis chr. fid.*, 2, 14, 9, *PL.*, 176, 570-8. Petrus Lombardus lectori iudicium reliquit, 4 d., 22, 2, *PL.*, 192, 898.

Rom., 11, 29 : Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ.

Prosper Aq., *Pro Augustino Resp. ad Capitula Gallorum*, 2. *PL.*, 51, 158 B. — Hinc interpretare Aug., *BcD.*, 1, 12. 20, *PL.*, 43, 120.

S. Thomas, 3ª, q. 88 a. 1 : « In peccato mortali sunt duo, sc. aversio a Deo et conversio ad bonum creatum. Quicquid autem est ex parte aversionis in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus ... Sed ex parte conversionis, peccata mortalia sunt diversa et interdum contraria. Unde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita... Contingit autem quod sequens actus peccati continet virtualiter reatum prioris peccati, in quantum sc. aliquis homo secundo peccans ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat,.., ex hoc sc. solo quod contemnitur Dei bonitas, quae ad patientiam expectat. Multo autem magis contemnitur Dei bonitas si, post remissionem prioris peccati, secundo peccatum iteratur : quanto maius est beneficium peccatum remittere quam peccatorem

sustinere... Et hoc non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, in quantum sc. virtualiter in peccato sequenti continentur. »

B. *Remissio poenae temporalis.*

S. Th., 3ª, q. 86 a. 4. Recitatum iam in thesi X. — Id quidem verum est non modo de 1ª absolutione, qua homo in gratiam restituitur, sed etiam de ceteris absolutionibus, quae homini iusto impertiuntur. Quapropter expedit ad Sacramentum saepius accedere. *In 4 d.*, 18, q. 1 a. 3 sol. 2 ad 4ᵐ : « ... Etiam in 2ª absolutione, vi clavium de poena remittitur, quia in 2ª absolutione gratiae confertur augmentum, et quanto maior gratia recipitur, minus de impuritate peccati praecedentis manet, et ideo minor poena purgans debetur. Unde etiam in 1ª absolutione alicui plus et minus de poena dimittitur vi clavium, secundum quod plus se ad gratiam disponit; et potest esse tanta dispositio quod etiam ex vi contritionis tota poena tollatur... Unde etiam non est inconveniens si per frequentem confessionem etiam tota poena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo poena Christi satisfecit. » Cf. *CG.*, 4, 72, fin.

C. *Reliquiarum peccati destructio.*

Reliquiae peccati sunt destitutio recti ordinis ad virtutem, post iustificationem plus minus perseverans. 1ª 2ªᵉ, q. 85 a. 3. — 3ª, q. 86 a. 5 : « Utrum, remissa culpa mortali, tollantur omnes reliquiae peccati. — R. d. q. peccatum mortale ex parte conversionis inordinatae ad bonum commutabile quandam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est.., culpa peccati mortalis remittitur in quantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo. Sublato autem quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatae, cum hanc contingat esse sine illa... Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae; remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominentur; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post Baptismum.

« Ad 1^m... Deus totum hominem perfecte curat, sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectae sanitati... (*Lc.*, 4.. quandoque successive, sicut dictum est de caeco illuminato... *Mt.*, 8). Et ita etiam spiritualiter quandoque tanta commotione convertit cor hominis, ut subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet de Magdalena (*Lc.*, 7.. Quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollit peccati reliquias. »

D. *Virtutum restitutio.*

Gratiam in iustificatione infusam consequitur splendidus comitatus virtutum : hic est ornatus prodigo restitutus : stola prima, annulus, calceamenta... (*Lc.*, 15. 22 : cf. Ambros., *In Lc., L.* 7, 231-232, *PL.*, 15, 1761 . Innocentius III, *Ad Ymbertum Arelat., DB.*, 410: *Conc. Tridentinum,* s. 6, c. 7 et can. 11, *DB.*, 800 et 821.

S. Th. 3ª q. 89 a. 1 : « Remissio peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae... Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitae, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae (1ª 2ae q. 110 a. 4 ad 1^m). Unde relinquitur quod per paenitentiam omnes virtutes restituuntur ». — Ad 1^m : «... Eodem modo paenitentia restituit virtutes per quem modum est causa gratiae... Est autem causa gratiae in quantum est sacramentum; nam in quantum est virtus, est magis gratiae effectus. Et ideo non oportet quod paenitentia, secundum quod est virtus, sit causa omnium aliarum virtutum, sed quod habitus paenitentiae, simul cum habitibus aliarum virtutum, per Sacramentum Paenitentiae causetur. »

E. *Reviviscentia meritorum.*

Inter actus humanos distingui possunt :

Opera viva : ex caritate facta, ac meritoria vitae aeternae.

— mortifera : habentia malitiam peccati mortalis, ita ut inferant mortem animae, et extinguant omne meritum.

— mortua : extra caritatem facta, et propterea nullius meriti ad vitam aeternam.

— mortificata : quae viva fuerunt, sed superveniente peccato extincta sunt. In his ratio meriti nulla est actu;

virtute tamen existit in acceptatione Dei et potest, revertente gratia, suscitari. Reviviscere merita in iustificatione, est sententia communis et certa, quae sine temeritate negari non potest.

Ex *Scriptura,* non probatur efficaciter, sed tantum insinuatur. *Ez.*, 18, 21 : 33, 12; *Prov.*, 11, 18; *Gal.*, 3, 4; *Hb.*, 6, 10; 10, 35. — In hos et similes locos, cf. interpretationes *Patrum.*

Ambrosius, *In Luc.*, (1,67) *L.*, 2, 33, *PL.*, 15, 1564 B : 15, 22) *L.* 7, 212, 1756 BC.

Ioannes Chrys., *In Gal.*, 3, 4, *H., PG.*, 61, 650.

Hieronymus, *In Gal.*, 3, 4, *L.*, 1, 3, *PL.*, 26, 350 C-351 A; *Adv. Iovin.*; 2, 3, *PL.*, 23, 286 A B.

Theologi hanc doctrinam tradunt ut certam. Sed in explicatione multum discrepant. Petrus Lombardus, *4 d.*, 14, *PL.*, 192, 870; Alexander Alensis, *Summa,* p. 4, q. 12 m. 4 a. 5, ed. Venet., 1575, t. 4, p. 249 V A B.

I. *In sententia S. Thomae,* haec occurrunt :

1. Actus ex caritate facti, etiamsi superveniente peccato mortificentur, remanent in acceptatione Dei, parati reviviscere si aliquando homo in gratia resurgat. 3ª, q. 89 a. 5 : « Quidam dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per paenitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remanent ut vivificari possint. Sed hoc impedire non potest quin vivificentur : non enim habent vim perducendi in vitam aeternam (quod pertinet ad eorum vitam) solum secundum quod actu existunt, sed etiam, postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent, quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt... (*Ap.*, 3, 11). Sed quod isti qui ea fecit non sint efficacia ad ducendum in vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per paenitentiam, inquantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata, per paenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum, qui fecit ea, in vitam aeternam, quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata, per paenitentiam reviviscunt. » — Cf. *In 4 d.*, 14 q. 2 a. 3 sol. 3; d., 22 q. 1 a. 1 ad 6m.

2. Noli confundere reviviscentiam meritorum cum reviviscentia totius gratiae; nam haec longe differunt. Gratia habitualis est donum a Deo in prima iustificatione infusum et radix omnis meriti. Crescit autem propria lege, quae est lex doni infusi a Deo, et quidem multipliciter : ex opere operato per Sacramenta, ex opere operantis per meritum hominis. Illud incrementum nos latet; scimus tamen totum esse a Deo (Deus incrementum dedit, *1 Cor.*, 3, 6. 7; *2 Cor.*, 9, 10), et quodammodo commensurari captui ac praesenti dispositioni hominis. Meritum autem est hominis cooperantis gratiae Dei, et propria lege crescit, quae differt a lege doni a Deo infusi. 3ª, q. 89 a. 2 : «... Manifestum est quod formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti... Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in paenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc paenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus paenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae quam fuerit illa a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo paenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuérat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori; et eadem est ratio de virtutibus quae ex gratia consequuntur. » — Cf. 3, q. 7 a. 11. Praeterea, q. 87 a. 2 ad 2ᵐ : « Gratiae infusio, licet sit in quolibet sacramento, non est in quolibet actu virtutis. »

3. Non semper recuperatur tota gratia amissa nec totum praemium essentiale gloriae, quamvis recuperentur merita mortificata et praemium accidentale. 3, q. 89 a. 5 ad 3ᵐ : « Ille qui per paenitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem praemium essentiale, secundum quantitatem caritatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima caritate factis, quam de operibus quae in secunda fecit, quod pertinet ad praemium accidentale. » Cf. *In 3 d.*, 31 q. 1 a. 4 sol. 3 ad 4ᵐ. Hoc ex principiis alibi positis de incremento gratiae et virtutum. Gratia habitualis non, sicut habitus acquisiti, generatur ex frequentia actuum, sed a Deo infunditur suo tempore. Quantum autem ex analogia habituum acquisitorum argumentari licet, non omni actui etiam meritorio statim retribuitur augmentum

gratiae, sed tantummodo actui aequanti aut superexcedenti intensionem praesentis habitus. 1.2 q. 52 a. 3 : « Utrum quilibet actus augeat habitum. — R. d. q. usus habituum in voluntate hominis consistit... Si igitur intensio actus proportionaliter aequetur intensioni habitus vel etiam superexcedat, quilibet actus vel auget habitum vel disponit ad augmentum ipsius... Si vero intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem eius. » Aliis verbis : actibus intensis intenditur formaliter habitus ; actibus autem remissis, non intenditur formaliter, sed tantum extenditur quodam modo materialiter. Cf. 2. 2, q. 24 a. 6 : *In 2 d.*, 27 q. 1 a. 4 ad 2^m.

Ipsi discipuli S. Thomae abierunt in multiplices sententias, quarum diversitates hic persequi non vacat. Sed nominandi sunt hic duo Doctores, qui multum distant a S. Thoma et multo magis inter se.

II. *Sententia Scoti.* — Scotus pro fundamento assumit praemium gloriae non reddi nisi pro modo gratiae habitualis in qua homo inventus fuerit. Aliunde pro certo tenet omni merito paratum esse suum praemium. Sed quia sibi persuadere non potest reddi in iustificatione gratiam quae totum gloriae meritis debitae praemium postulet, statuit hanc gratiam interim reservari et in fine vitae reddi. *In 4 d.*, 21 q. 1, 9, ed. Paris, 1894, t. 18, p. 715 B : « Cum quodcumque meritum mereatur (ut credo) augmentum gratiae, quia aliquem determinatum gradum gloriae, ad quem requiritur, ut dispositio praevia, aliquis gradus gratiae, et non semper Deus post quemcumque actum meritorium augeat gratiam proportionatam merito, videtur quod augmentum debitum meritis remissis reservet usque ad instans mortis. » *In 4 d.*, 22 q. un., 9. p. 782 A B : « Non est idem habere plura merita in acceptatione divina reservata in ordine ad praemium pro eis reddendum, et habere maiorem gratiam intensive. Universaliter enim cuicumque merito debetur non tantum aliquod praemium accidentale, sed etiam praemium essentiale. Patet quia, si quis istud solum haberet sine omni alio merito, beatificaretur non praecise in illo gradu in quo propter gratiam solam sine meritis beatificaretur sicut parvulus nunc baptizatus : gloria enim cuiuscumque

habentis meritum proprium excedit gloriam talis. Ergo quodcumque meritum sequens alia merita iam habita, requirit proprium gradum gloriae essentialis sibi correspondentem: nec tamen per quodcumque meritum augetur statim gratia, nec habens plura merita est semper in maiori gratia... » 10 p. 783A : « Igitur reviviscunt merita, sed non revivisçit prior gratia, quia prius habita. Et istud est satis consonum iustitiae, quia gratia prior fuit tantum donum Dei, merita autem erant aliquo modo opera hominis, et ideo illa sunt semper salva in acceptatione Dei, gratia vero non. »

. III. *Sententia Suaresii.* — Suaresius pro fundamento assumit in omni iustificatione semper reddi totam gratiam prius acceptam sive ex operato Sacramentorum, sive ex meritis operantis ; immo reddi cum aliquo faenore ; nam ipsa conversione ad Deum homo meretur ; unde fit ut resurgat semper in maiore gratia. Et appellat auctoritatem Tridentini. *De Gratia, L.*, 9 c. 23 s. 26, ed. Paris., 1858, t. 9, p. 475A : « Superest probanda altera propositio,... sc. Deum promisisse hoc gratiae augmentum iusto sub conditione meritorii operis, sine alia conditione. Cuius propositionis affirmativa pars supponitur ut certa, nam iustus quolibet opere meritorio de condigno meretur augmentum gratiae, ut in praecedenti assertione ostensum est ; sed omne meritum de condigno apud Deum includit seu supponit promissionem Dei sub conditione operis, saltem de facto, et secundum legem ordinariam, ut infra videbimus : ergo hoc augmentum iustitiae promissum est iustis saltem sub ea conditione si, accepta iustitia, bene operentur. Altera vero negativa pars, 1° sumi potest ex Conc. Trid., dicto c. 16.., quia Concilium solum in vitae aeternae promissione addit illam conditionem : *Si in gratia* decesserit ; sed in augmento gratiae neque illam neque aliam posuit, sed potius in can. 24 absolute definivit gratiam Dei augeri per bona opera ; ergo non agnovit Concilium aliam conditionem additam huic promissioni, praeter conditionem boni operis. 2° hic repeti potest argumentum proxime sumptum ab auctoritate negativa, quia neque ex Scriptura vel Patribus vel Conciliis alia conditio sub qua haec pars mercedis operis (ut sic dicam) promissa est, probari aut probabili discursu colligi potest : ergo non licet nobis illam apponere, cum res super-

naturalis sit et ex voluntate Dei pendeat. 3° argumentor interrogando quaenam alia conditio promissioni huius praemii adiuncta sit : nulla enim designari potest quae vel probationem habeat vel ex qua non sequantur absurda. » Cf. *In q.* 89 a. 2, ed. Paris., t. 22, p. 266-268; *Opusc.* 5, *Relectio de Reviviscentia meritorum*, ib., t. 11, p. 435-513.

Harum trium sententiarum, quae multas admittunt secundarias diversitates, summa subiecto schemate exhibetur.

	Gratia in iustificatione reddita	Gloria parata	
		pro gratia, ad praemium	pro meritis, ad praemium
S. Thomas	maior, aequalis, minor pro modo caritatis actualis	essentiale	accidentale
Scotus	pro meritis pars ; pars dilata ad tempus mortis.	essentiale	essentiale
Suaresius	maior	essentiale	essentiale.

Breviter instituitur *crisis illarum sententiarum*. — 1° Quod attinet ad gratiam in iustificatione redditam, sententia S. Thomae nititur in principio firmissimo : habitus recipi ad modum recipientis. Praeclare autem confirmatur a Conc. Tridentino, s. 6 c. 7, *DB.*, 799 : « ... Vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult (*1 Cor.*, 12, 11), et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem ». Quae verba ut nihil cogit ad praesentem controversiam applicare, ita nihil iubet coartare. — Scoti sententiam difficile est defendere, cum audet negare reddi gratiam homini sine merito collatam ; difficilius, cum statuit gratiam pro meritis redditam partim differri usque ad tempus mortis. — Suaresii sententia commendat misericordiam Dei ; sed num secundum veritatem ? Appellat auctoritatem Tridentini : num iure, merito dubitatur ; nam in illa sessione Concilium aliud agebat : voluit damnare errores haereticorum, non controversias in scholis catholicis pendentes dirimere. Ex illa intentione eius verba interpretanda sunt. Sane accurata descriptio modi in incremento iustitiae servati non pertinebat ad errores in haereticis revincendos. Eiusmodi

interpretatio, quam pro certa profert Suaresius, neque ex traditione antetridentina aperte colligitur, neque a theologis posttridentinis unanimi consensu recepta est. Cf. Billot, *De Sacramentis*, t. 2[4], p. 105 sqq.

2° Quod attinet ad gloriam paratam, proprium est S. Thomae ut, instituta distinctione praemii essentialis et accidentalis, statuat praemium essentiale commensurari gratiae in qua homo decedit, praemium accidentale caritati actuali unde singuli eius actus meritorii processerint. Haec distinctio, quae multarum difficultatum solutionem suggerit, auctoritate Tridentini egregie commendatur, s. 6 c. 16, *DB.*, 809 : « Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna *et tanquam gratia* filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, *et tanquam merces* ex ipsius promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. » Quoniam donum vitae aeternae est quaedam gratia Dei, aequum est illud commensurari essentialiter gratiae iam possessae : quoniam est merces hominis, aequum est illam commensurari aliqualiter meritis actualibus.

Ceterum in materia disputationibus Doctorum catholicorum obnoxia, unusquisque in suo sensu abundet. Nobis autem ignoscat Deus quae scribendo ignoranter peccavimus.

AUCTORITATES SCRIPTURAE PRAECIPUAE

		Paginae.
Mt.	3, 7-12	68
	5, 29.30	69
	12, 31.32	5 11
	16, 17-19	2-4.7
	18, 12-20	4-5.7
Lc.	7, 36-50	53.125
	15	1.53
	16,9	125
Io.	5,14	69
	20, 19-23	5.7.148
Act.	5, 1-11	16
	8,20-23	16
	19,18	81-82
Rom.	11,29	159
1 Cor.	5, 1-13	16
2 Cor.	2, 5-11	5.16
	7,12	16
1 Tim.	1,20	16
Heb.	6,5-8	13-14
	10, 26-27	14
	12, 16-17	14
Iac.	5, 15-16	16.82.83
1 Pet.	4, 7.8	16.61
	5, 8	16
2 Pet.	3,9	16
1 Io.	1,9	5.83
	4,18	69
	5,16	15.16
Iud.	22.23	16
Ap.	2, 14-21	17

FONTES

Abaélardus, 2, 54, 62, 82, 105, 148.
Accsius, 141.
Adam (K.), 32.
Adrianus VI, 62, 114.
Agrippinus, 32.
Alanus ab Insulis, 54, 56, 64, 106.
Albaspinaeus, IX.
Albertus Magnus 54, 83, 112, 142, 156, 157.
Alcuinus, 82, 101.
Alexander II, 133.
Alexander IV, 107.
Alexander VII, 76, 107, 133, 154.
Alexander VIII, 69, 133, 136, 154.
Alexander Alensis, 54, 56, 65, 82, 119, 147, 162.
Allard (P.), 46, 64.
Alphonsus de Ligorio, 76, 135, 157.
Ambrosiaster, 12, 16, 48, 91.
Ambrosius, VIII, 4, 6, 10, 12, 14, 15, 16, 20, 47, 54, 61, 69, 90, 127, 129, 150, 151, 161, 162.
Ps. Ambrosius de Paenit., VIII, 97, 130.
Ps. Ambrosius de lapsu virg., 6.
Amedeus a Fredelghens, 112.
Ammonius, 81.
Anastasius Sinaita, 82, 100.
Anselmus, 8, 54, 123.
Antoninus, 157.
Aphraates, VII, 4, 47, 88.
Arendt, 116.
Armeni, 151, 152, 154.
Arnauld (A.), IX, 11.
Asterius Amasenus, VII, 6, 61, 88.
Athanasius, 6, 12, 13, 46.
(Ps.) Athanasius, 16.
Atzberger, 32.
Augustinus, VIII, 4, 5, 6, 8, 12, 15, 16, 20, 48, 51, 52, 54, 57, 61, 69, 71, 74, 83, 92, 93, 94, 95, 125, 128, 129, 130, 137, 141, 151, 152, 156, 159.
(Ps.) Augustinus, De vera et falsa paenit., 54, 56, 57, 58, 103, 104, 111, 114, 123, 130.
Azpicuelta, 121.

Bainvel, 84.
Baius, 61, 69, 75, 133, 139, 154.
Bardenhewer, 32.
Bardy, 32.
(Ps.) Barnabas, 126.
Basilius, VII, 47, 87, 127, 131.
(Ps.) Basilius, 15.
Batiffol, X, 15, 23, 87, 89.
Beda, 82, 83, 111, 131.
Bellarminus, VIII, 63, 81, 83, 120.
Benedictus XI, 107.
Benedictus XII, 151.
Benedictus XIV, 77, 121, 139, 153.
Benedictus XV, 10, 108, 121, 133, 139, 154.
Beringer, 139.
Bernard (P.), 124.
Bernardus, 9, 59, 62, 105, 149.
Berti, 64.
Besson, X.
Bethune-Baker, 32.
Beugnet, 76.
Bigg, 33.
Billot, X, 9, 55, 58, 64, 71, 73, 109, 124, 153, 157, 167.
Blass, 82.
Bonaventura, 62, 65, 67, 77, 83, 148.
Bonifacius VIII, 139.
Bossuetius, 68.
Boudinhon, X.
Brahm, 114.
Brat, 132.
Bréal et Bailly, V.
Burchardus, 132.

Caelestinus, 48, 61, 74, 133.
Caesar, 122.

Caietanus, VIII, 13, 57, 62, 63, 67, 78, 114, 121, 135, 136, 152, 157.
Callistus, 3, 31, 32, 34, 84, 132, 148, 154.
Calmes, 83.
Calmet, 81, 83.
Calvinus, 2, 89.
Canon apost., 43, 131.
Canus (Melchior), VIII, 76, 78.
Caspari, 79.
Cassianus, 96, 125.
Cassiodorus 82, 83.
Catechismus Trid., VII, 1, 50, 62, 69, 75.
Cavallera, 105.
Cerdo, 21.
Chrodegangus, 100.
Chrysostomus cf. Ioannes.
Cicero, V, 122.
Clemens R., I Cor., 17, 81, 84.
Clementis II^{a}, 17, 20, 81, 84, 126.
Clemens VI, 139.
Clemens VIII, 114, 120, 121, 153, 154.
Clemens XI, 133.
Clemens Alex., 17, 18, 20, 23, 45, 61, 69, 129, 143.
Cock, 82.
Cöeffeteau, 121.
Columbanus, 100, 131.
Concilium Ancyranum, VII, 44, 46.
— Arausicanum II, 57.
— Arelatense (314), VII, 45; — (813), 132.
— Cabilonense (813), 82, 100, 102, 103.
— Carthaginense (397), 92, 127.
— Coloniense (1279), 119.
— Constantiense, 9, 50, 54, 107, 139, 154.
— in Dalmatia (1199), 119.
— Florentinum, 9, 50, 107, 133, 152, 153, 154.
— Fritzlarense (1246), 119.
— Illiberitanum, VII, 44, 46, 86, 110, 129.
— Lambethense (1330), 119.
— Laodicenum (343/381), 127.
— Lateranense IV, 2, 106, 121, 143, 154.
— Lugdunense II, 9.
— Neocaesareense, 44.
Concilium Nicaenum, VII, 46, 132, 141.
— Oxoniense (1222), 119.
— Parisiense (1197), 119.
— Pennafidelense (1302), 119.
— Pictaviense (1280), 111.
— Pragense (1346), 119.
— ad Quercum, 129.
— Remense (813), 132.
— Rotomagense (1223), 119; — (1231), 111.
— Senonense (1140), 148.
— Toletanum II (589), 130.
— Trevirense (1227, 1310), 119.
— Tridentinum, 9, 50, 52, 55, 56, 57, 58, 60, 61, 69, 70, 71, 72, 74, 83, 107, 108, 121, 133, 139, 143, 144, 148, 154, 161, 165, 166, 167.
— Veronense (1184), 9.
Constitutiones Ap., VII, 8, 12, 88, 127, 129.
Coppens, 153.
Coptae, 151.
Corluy, 82.
Cornelius, P. R., 10, 39, 40, 41, 130.
Cornelius a Lapide, 81.
Cyprianus, VII, 3, 6, 8, 10, 12, 32, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 47, 53, 56, 74, 81, 85, 86, 110, 126, 141, 151.
(Ps.) Cyprianus Ad Novatianum, 10, 42, 86, 127, 141.
(Ps.) Cyprianus De Aleatoribus, 12.
Cyrillus Hier., 80, 137.

Daillé, 79, 89.
Debil, 105.
Denzinger, 151.
Didache, 12, 17, 81, 84, 125.
Didascalia Addai, 129.
Didascalia Apostolorum, VII, 6, 43, 45, 129.
Diekamp, 32.
Digestum, 122.
Dionysius Alex., 10, 36, 42, 43.
Dionysius Carthus, 81, 83.
Dionysius Corinth., 23.
Dionysius Exiguus, 131.
(Ps.) Dionysius Areop., 100.
Doellinger, 33.
Drach, 83.

Duchesne, 152.
Durandus, 57, 66, 83.

Edmundus Cantuar., 111.
Egbertus, 131-132.
Ekardus, 54.
Ephraem, VII, 88.
Epiphanius, 14, 22, 47.
Esser (G.), 23, 32.
Estius, 54, 82, 83.
Evagrius Ponticus, 125.
Eucherius Lugdunensis, 96.
Euchologium Graecorum, 151.
Eugenius IV, 9, 50, 133, 154.
Eusebius, 10, 17, 22, 23, 39, 40, 42, 45, 127, 130.

Farvacques, 76.
Feder, 22.
Fillion, 82-83.
Firmilianus, 3, 36, 40, 42, 150.
Fischer, 79.
Fournier (P.), 132.
Frank, IX.
Fulgentius Ruspensis, VIII.
Funk, X, 17, 19, 22, 23.

Galtier, X, 50, 60, 81, 89, 90, 114, 139, 153, 158.
Gatianus Turon, 132.
Gazzaniga, 64.
Gebhardt, 19.
Gelasius, 48, 54, 71.
Gerson (J.), 120.
Gonet, IX, 78, 157.
Göttler, X, 66, 135.
Graeci, 124, 151, 153.
Gratianus, 82, 105, 119.
Gregorius Magnus, 16, 52, 54, 61, 69, 99, 100, 125, 128.
Gregorius II, 101.
Gregorius X, 9.
Gregorius Nazianzenus, VII, 16, 47, 87, 125.
Gregorius Nyssenus, VII, 88.
Gregorius Thaumaturgus, VII, 36, 43, 45, 127.
Gregorius Turonensis, 99.
Gromer, 112.
Guerrero, 71.
Guilelmus Altisiodorensis, 65, 119.
Guilelmus Alvernus, 54, 65, 66.

Habert, 68.
Harnack, 19, 26, 33, 67.
Hauck, 32.
Hermas, VI, VII, 5, 7, 8, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 27, 45, 48, 53, 81, 84, 125, 126, 129.
Herzog, 79.
Hieronymus, VIII, 3, 6, 10, 14, 47, 69, 92, 127, 129, 150, 151, 162.
Hilarii Arelatensis vita, 96.
Hilarius Pictaviensis, 4, 12, 90, 153.
Hilgers, 139.
Hippolytus, 5, 26, 30, 31, 32, 45, 130.
Holl, 79, 112, 143.
Holtzmann (H. J.), 82.
Honoré (L.), 116, 117, 119, 120.
Hörmann, 112.
Hugo Victorinus, 9, 82, 149, 159.
Hugueny, X, 105.
Hussitae, 139, 154.

Iacobitae, 151.
Iacobus Angliae rex, 120.
Iansenistae, 67, 136, cf. Pistorienses.
Iansenius, 67.
Ignatius Antioch., 4, 17, 84.
Innocentius I, 48, 128, 131, 132, 154.
Innocentius III, 2, 9, 54, 65, 106, 119, 121, 133, 154, 161.
Innocentius XI, 57, 68, 108, 121, 139.
Ioannes XXII, 54, 107.
Ioannes Chrysostomus, VII, 6, 8, 12, 14, 16, 20, 58, 61, 80, 81, 82, 89, 90, 130, 162.
Ioannes Climacus, 125.
Ioannes Damascenus, 14.
Ioannes Ieiunator, 100.
Ioannes de Polliaco, 107.
Ionas Aurelianensis, 102.
Iosephus, V.
Irenaeus, 12, 21, 22, 63, 84, 126.
Isidorus Hisp., V.
Isidorus Pelus., 16.
Iuenin, 64, 68.
Iulianus Pomerius, 97, 98, 99.
Ivo Carnotensis, 104.
Iustinus, 20, 22.

Knabenbauer, 13, 82.
Koch (H.), 22.
Kurtscheid, 115.

La Brière (de), 4, 64.
Lactantius, VI, 46, 87.
Lanfrancus, 103, 119.

Langton, 64.
Launoy, 76.
Laurain, 112.
Lea, XI, 2, 79.
Lebreton, 32.
Le Camus, 82.
Le Dent, 76.
Lehmkuhl, 157.
Leo Magnus, 6, 9, 12, 50, 61, 95, 96, 113, 117, 118, 128, 131, 133, 152, 154.
Leo X, 9, 50, 55, 69, 107, 139, 145, 154.
Ligorius, 76, 135, 157.
Loofs, 32.
Lucius III, 9.
Lugdunenses Confessores, 22, 142.
Lugo, 60, 76, 153.
Lupus (Christianus), 63, 76.
Lutherus 2, 49, 50, 53, 54, 55, 60, 67, 69, 139, 148, 154.

Maldonatus, VIII, 13.
Malnory, 100.
Mangenot, 80.
Marcellus P. R., 87.
Marcion, 22.
Marcus eremita, 90.
Maronitae, 151.
Martinus V, 9, 50, 139, 154.
Maunoury, 83.
Melanchthon, 2.
Methodius, 44.
Michel (Alph.), 114.
Michel (P.), 153.
Molina, 58.
Molinos, 108, 139.
Monceaux, 32.
Montanistae, 10, 148, cf. Tertullianus.
Morinus (Io.), IX, 67, 83, 151.
Mozarabicus ritus, 152.
Müller (K.), 69, 79.
Muratorianum, 17.

Navarrus, 121, 136.
Nectarius, 89, 117.
Nicolaus de Gorham, 83.
Nilus abbas, 90.
Novatianus, 6, 8, 10, 12, 13, 15, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 47, 48, 54, 89, 91, 141, 148.

Odo de Soliaco, 111, 119.
OEcumenius, 81, 82, 38.
Orientales, 151, 152, 153.
Origenes, VII, 3, 4, 6, 8, 12, 16, 17, 20, 32, 33, 34, 35, 36, 52, 56, 82, 84, 85, 127, 129, 137, 141.
Orsi, IX.
Ovidius, VI.

Pacianus, VIII, 4, 6, 10, 12, 15, 16, 20, 47, 53, 91, 125, 127, 129, 137.
Paenitentiales libri, 110, 111, 125, 130, 131, 132, 152.
Pallavicini, 62, 71, 72.
Palmieri, IX, 70, 73, 117, 158.
Panormitanus, 121.
Patrizi, 82.
Paulinus, 91, 127.
Paulus V, 114, 154.
Paulus (N.), 139.
Pelagius, 48.
Pellé, X.
Perron (du), 121.
Pesch (C.), X, 58, 70, 153, 157.
Petavius, IX, 11, 89.
Petit (L.), 124.
Petrus Alexandrinus, VII, 44, 131.
Petrus Cantor, 115.
Petrus Chysologus, 61.
Petrus Damiani, 8, 118, 132.
Petrus Lombardus, VIII, 9, 54, 58, 67, 82, 106, 111, 119, 145, 147, 155, 159, 162.
Petrus de Osma, 54, 133, 136, 139, 154.
Petrus de Palude, 114.
Petrus Pictavienis, 54, 82, 147.
Philippus, imp., 45, 122.
Philo, V.
Pirminus, 101.
Pistorienses, 67, 69, 108, 133, 139, 154.
Pius IV, 139.
Pius V, 62, 69, 75, 133, 139, 154.
Pius VI, 10, 69, 108, 110, 133, 136, 139, 154.
Pius X, 10
Plato, V.
Polycarpus, 84.
Pourrat, 55.
Preuschen, 32.
Primasius, 10.
Prosper Aq., 159.

Quesnellus, 67, 69.

Rabanus Maurus, 132.
Rauschen, x, 19, 20, 89.
Raymundus de Pennafort, 54, 82.
Reginaldus S. I., 121.
Regino Prumiensis, 103, 143.
Renaudot, ix.
Reticius Augustodunensis, 47.
Ricardus de Mediavilla, 83.
Ricardus Victorinus, 82, 149.
Rimml, 69, 71.
Ripalda, 53.
Robertus Pullus, 49.
Robertus Sorbo, 116.
Rolandus, 82.
Rossi (I. B.), 26.
Rumeni, 151.
Russiaci, 151.

Sacramentarium Gelasianum, 152.
Sacramentarium Gregorianum, 152.
Salmeron, 82.
S. Millan (Io. de), 71.
Schmitz (H. J.), ix, 132.
Schmoll (X), 54, 64, 147.
Scorraille (R. de), 114.
Scotus, 49, 50, 51, 57, 76, 78, 83 145, 164, 165, 166.
Seeberg, 32.
Sidorius Apollinaris, 97.
Silvester, 114.
Siricius, 129, 131.
Sirmondus, ix, 89.
Sixtus IV, 9, 54, 107, 133, 136, 139. 154.
Socrates, 89, 90, 117, 129, 141.
Sorbo (R.), 116.
Soto (Dom.), viii, 54, 66, 71, 153.
Soto (Pet.), 114, 136.
Sozomenus, 89, 117.
Stahl, 17.
Statuta Ecclesiae antiqua, 9.
Stufler, 32, 88, 112.
Suarez, ix, 53, 58, 60, 63, 76, 114, 119, 135, 136, 153, 157, 165, 166, 167.

Tanquerey, x.
Terentius, v.
Tertullianus, vi, vii, 3, 4, 5, 8, 10, 12, 13, 16, 17, 20, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 46, 47, 69, 80, 81, 83, 84, 117, 125, 126, 129, 130, 137, 140, 142, 147, 148, 151, 154.
(Ps.) Tertullianus, 22.
Testamentum DNIC., vii, 110.
Theodoretus, 16, 100.
Theodorus Cantuar., 131.
Theodosius imp., 127, 128.
Theodulfus Aurelianensis, 6, 102.
Theognostus, 12.
Theophylactus, 81, 82, 83.
Thomas Aq., vii, viii, 6, 7, 13, 48, 51, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 62, 65, 66, 72, 73, 75, 76, 77, 108, 109, 110, 112, 113, 116, 120, 122, 123, 124, 133, 134, 135, 137, 138, 139, 144, 145, 146, 147, 149, 150, 152, 153, 155, 156, 159, 160, 161, 162, 163, 164, 166, 167.
Tillemont, 89.
Tixeront, x, 89, 100.
Turmel, 89.

Vacandard, x, 23, 87, 89.
Van Steenkiste, 82, 83.
Vasquez, 60.
Vauchop, 71.
Vega (A)., viii, 13, 54, 71.
Vernet, 55.
Victor de Cartenna, viii, 97, 130.
Victoria (F. de), 136.

Walafridus Strabo, 82.
Wasserschleben, 132.
Watkins, x, 19, 21.
Weiss (B.), 82.
Westcott, 83.
Wiclef, 54, 107, 139, 154.
Wolf, cf. Lupus.

Xiberta, 155.

Zahn (T.), 19.
Zephyrinus, 32.

INDEX

Paginae.

Prooemium ... v

Caput I. De ipso Sacramento.

Thesis I. Existit in Ecclesia Sacramentum Paenitentiae a Christo institutum per modum iudicii ... 1
II. Huius Sacramenti virtus extenditur ad omnia peccata post Baptismum admissa ... 10
III. Sacramentum Paenitentiae constat duabus partibus essentialibus : quasi materia Sacramenti sunt actus paenitentis : contritio, confessio, satisfactio; forma est absolutio sacerdotis ... 49

Caput II. De Contritione.

IV. Contritio ad remissionem peccatorum in Sacramento requiritur necessitate praecepti et medii ... 52
V. Illa demum contritio est efficax ad remissionem peccatorum, quae est interna, supernaturalis, universalis, et appretiative summa ... 56
VI. Contritio perfecta, — quae quidem sub Lege evangelica nulla est sine voto Sacramenti, — iustificat hominem etiam extra Sacramentum ... 59
Scholion. De occisione in bello iusto, quatenus militem occisum iustificet coram Deo ... 64
VII. Contritio formidolosa seu attritio, ex gehennae et poenarum metu concepta, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae, est actus honestus ac salutaris; et quamvis per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, proxime disponit illum ad iustificationem in Sacramento assequendam ... 64
Scholion. Quid sit « fieri ex attrito contritum » ... 77

Caput III. De Confessione.

VIII. Ex iure divino requiritur omnium et singulorum peccatorum mortalium post Baptisma admissorum integra apud Sacerdotem confessio ... 79
Scholion I. De confessione venialium ... 109

Paginae.

Scholion II. De confessione apud non sacerdotem facta. 110
Scholion III. De ratione confitendi..... 113
IX. Legis de sigillo Sacramentali triplex fundamentum : ex iure naturali, divino positivo et ecclesiastico..... 115

Caput IV. De Satisfactione.

X. Ad integritatem Sacramenti Paenitentiae pertinent opera poenalia a paenitente ex arbitrio Ecclesiae suscepta ut satisfaciat Deo..... 122
Scholion. De Indulgentiis..... 136

Caput V. De absolutione Sacerdotis.

XI. Absolutio Sacerdotis, in qua praecipue sita est vis Sacramenti Paenitentiae, est sententia efficax, vi cuius culpa remittitur et reatus poenae aeternae extinguitur. Hinc, licet verbis materialiter deprecativis aliquando expressa sit aut etiam nunc exprimatur, habet vim indicativam..... 140
Scholion I. Quid sit in Sacramento Paenitentiae « res et sacramentum »..... 154
Scholion II. De confessione valida et informi..... 156
XII. Peccata semel dimissa non redeunt. Ad effectum autem Sacramenti Paenitentiae pertinet etiam poenae temporalis remissio maior minorve pro cooperatione suscipientis; reliquiarum peccati destructio; virtutum restitutio; reviviscentia meritorum..... 159
Auctoritates Scripturae praecipuae..... 169
Fontes..... 170

Typographie Firmin-Didot et C^ie^. — Mesnil (Eure). — 1926.

236.4
A126
4529
D'ALES, ADHEMAR
AUTHOR
Dogmatica Lineamenta Tractatus De Sacramento Paenitentiae
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER